



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Iosephi Ripamontii E Collegio Ambrosiano Historiarvm
Ecclesiae Mediolanensis Decas ...**

Decas Prima

Ripamonti, Giuseppe

Mediolani, 1617


Liber Sextvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11209

IOSEPHI
RIPAMONTII

Ambrosiani Coll. Doct.

LIBER SEXTVS.



Zz IO-

LOGEPII
RIPAMONTE
Amplissimi Coll Dog.
PLATEA SEXTA

DI 35



**IOSEPHI
RIPAMONTII
EX DOCTORIBVS
COLLEGII AMBROSIANI
HISTOR. ECCL. MEDIOL.**

L I B E R S E X T V S.

SEQVITVR Ambrosium Simpli-
 cianus imbutus ipsius moribus , &
 institutis , vigore animi cæterisque
 virtutibus, ad eum modum , vt mœ-
 stam atque consternatam desiderio
 ciuitatem pene vñus recreare potuisse videretur .
 Patria Mediolanensis erat honesto loco natus ex
 ea familia , quam Cæsares honoris vocabulo Ca-
 pitaneam appellauere . Prima ætate , postquam
 operam dedisset ijs artibus, quibus adolescentium
 animi ad humanitatem informantur ; multorum

Zz 2 mores

mores videre , & vrbes concupiuit , ac præcipue
Romæ est moratus . Victorinus ibi per ea tem-
pora præcise facundus , abducere quamplurimos à
catholica religione conabatur , & eo conatu ma-
ximum christianæ rei detrimentum adferebat .
Neque facile quispiam obuiam iret , siue admira-
tione quadam illius ingenij passim hærerent , siue
fauor apud paucos potentes , teriorem omnibus
inijceret , siue etiam artificiose ille spargeret ve-
nena , & occultis modis ad perniciem animarum
grassaretur . Non terruit , aut fefellit Simplicianū .
Sed eludebat , donec ad singulare certamen vene-
re . In eo certamine cùm aliquandiu veluti ma-
nibus æquis pugnatum esset , demum superiores
fuere Veritas & Simplicianus , neque Victorinus
recusauit oblatam lucem , vicitq. ipse dumvinci-
tur . Statim expetito baptismo refertur in chri-
stianos acerrimus ex eo die populator inaniam
Deorum , & insanæ Gentilitatis . Ac tanta fuit
constantia , vt cùm Julianus cognomento Aposto-
ta legem tulisset , qua lege , christianis hominibus
publicum docendi , vel interpretandi munus inter-
dicebatur ; ipse confestim amplissima conditione
relicta Christum , & salutem , & rei familiaris angu-
stias , Principi , & gloriæ , diuinijsq. præoptarit .
Meruerat sapientiæ fama publicæ statuæ decus , ea-
que posita est in foro Traiani . Tantò magis admi-
rati sunt homines , illum magnum , illum inclitum ,
dedisse

dedisse manus homini peregrino, & commisisse, vt
summus honos, quem esset assecutus, principis ira
verteretur in contumeliam. Ante veritatis christia-
næ lucem, præcipuus labor illi, vt latinè loquen-
tem Platonem exhiberet. Postea sanctiore argu-
mento stilum occupauit, & inter alia, quæscripsit
catholico iam spiritu, robora Machabæorum
eleganti prosecutus est carmine, cùm eorum exi-
tu fortè inter legendum esset delectatus. Igitur,
hoc ad Catholicam Ecclesiam adiuncto firmamen-
to, Simplicianus in ora hominum abire, celebrari
laudibus omnium, & apud ipsum præcipue sacro-
rum Principem pollere gratia & authoritate, clæ-
rus magnusq. haberi. Ea scilicet fuit causa, quā-
obrem, mitteretur veluti collega, & magister
Ambrosio, cum ille ad Ecclesiastica negotia rudis
principio & nouus, talem requirere adiutorem atq.
consiliarium videretur. Cæterū, tanta egit sub-
missione ac modestia, vt mallet videri reperisse
aptum Pontificio muneri, quām fecisse. Grandi
iam natu Sacerdos, & sacrarum rerum usu ac di-
sciplina contritus, in magistri loco venerabatur
Ambrosium, ac eum vltro de diuinis rebus, & Ec-
clesiæ gubernatione consulebat, cui magister, &
moderator ipse appositus fuisset. Hanc viri mo-
derationem, & virtutem, ipse pari virtute Am-
brosius refert, multiq. viri prudentes illius ætatis.
animi magnitudinem intellexere. Adeò non quæ-
sita

sita gloria cumulationior redit, neq. submittendo se quisquam vñquam, imminuit famam, & nomen. Sed præter tantam modestiam, quantam hac ætate haud facilè in vlo mortalium repereris, aliæ quoque multæ magnæq. & rare Simpliciani laudes fuere. Illa præcipue memorantur. Ad psalmodiam insomnis, ad retegendas Episcopo, ciuitatis vniuersæ corruptelas attentus, promptus inopiæ subleuandæ, tanta sollicitudine, quanta sibi quisque res necessarias querit. Peruigil idem, & irquietus, donec ad Christum adiunxit, si quem forte deprehendisset alienum aut rebellem. Nimirum etiam conciliauerat Augustinum Ecclesiæ, cùm eum ad Ambrosium introduxit, atque esserent vñâ de Platonice philosophiæ mendis & vanitate collocuti. His meritis in Ambrosij locum venit anno trecentesimo nonagesimo nono postquam redempti sumus. Eminebant ea tempestate viri graues in Clero Mediolanensi, quos nemo adspernaretur Ecclesiæ Præfides, & Pastores animarum. Felix & Theodulus inter cæteros, quæ disciplina, & imitatione Pontificis Ambrosij, quæ suis virtutibus habebantur eximij, & digni eo munere nisi Simplicianus ipse dignior fuisset. Cæterum, breue deinceps vitæ spatum, haud magnam gloriæ materiam, & segetem dedit. Ac nisi prioris æui sanctimonia & virtus venisset in sæcula, haud fermè erant, quæ de Simpliciano memoria-

re

re possemus. Nam præter exiguae vite reliquias, quas ille ad Pontificatum attulit, fecerunt alię quoque causę, ut angustis terminis illa prudentia, & ille gubernator animus includeretur. Ambrosius ita decesserat, ut ne longeuo quidem succenti Pontifici, campum relinqueret. Ille statum Ecclesię, per eqūa, per iniqua constitutum, ille Cleri disciplinam, ille populi mores ad perfectum emendatos trādiderat. Non inciderat Simplicianus in eum principem, quem, aut prauus ipsius animus, aut stimuli proximorum in Ecclesię damnna & clades incitarent; vt, vel periculis obiectando vitam, fortis ac inuicti, vel impietatem ipsam flectendo ac emendando, sapientis, & prouidi titulum inueniret. Quippe Theodosio extincto, sicuti memoratum est, Honorius nobis imperitabat. Is, & suo & parentis ingenio, moderatus ac pius, extrema potius omnia pateretur, quam vt sacra & sacros vlla ratione perturbaret. Præterea Stilicò primæ post Cæsarem ipsum auctoritatis, erat idem pietate singulari, & vniuersam in suos mores aulam trahebat. Ita, Simpliciano ruta & quieta omnia, nec iam vlla cura placidissimo seni, nisi quam, aut salus animarum adsceret, aut absolute virtutis amor. Quod si quis, Simpliciani Pontificatum cum Ambrosij Pontificatu, & huius vitam cum illius vita comparare velit; aptissimo compendio fuerit vsus, si alterum exerciti,

citi, & negotiosi , alterum quieti , & imperturbati
Pontificatus exemplar appellarit . Sed quanquam
domi quies & otium , foris tamen honos , & famæ
celebritas obtigit Simpliciano . Donatistæ sacrile-
gis manibus quosdam sacro fonti pueros admoue-
rant , & ea res Patribus iniecerat scrupulum ac
religionem , an ratum eum haberi baptismum o-
porteret . Carthagine super eo negotio concilium
est habitum , & deliberatio fluctuabat ; siue nega-
ret aliquis , siue adfirmaret , erant in promptu ra-
tiones & causæ , quæ sententiam adprobarent .
Postquam nullus ei controversiæ inueniri exitus
poterat ; cò demum decurrere Patres , vti rem
totam Simpliciano disjudicandam permitterent ,
quicquid ille respondisset , ratum id atque sanctum
habituri . Cum exterrit tantum tribuerent huius vi-
ri famæ , sicut inde coniectare , quantum authori-
tatis apud suos obtineret . Ea declarata est Ho-
norij potissimum ipsius actionibus & decretis , que-
is in Simpliciani gratiam , rem Ecclesiasticam au-
xit , & ornauit . Atque initium hinc sumit ea res ,
quæ data sanctitati , & meritis , & gratiæ , dissens-
sionum atque turbarum exciuit molem , quæve
quietem Apostolicam interpellat , nec finit illam
tantopere commendatam ab auctore , & capi-
te Christo in Ecclesia pacem consistere . Medio-
lani cùm federet Honorins , multaque quotidie
inciderent eiusmodi , vt Simpliciani Pontificis
arbi-

bitrium", & sententiam interponi litibus, atq. causis
oporteret, ratus id ad Reipublicæ moderationem,
& commoda pertinere Princeps vtrò tulit legem,
qua sanxit, licere popularibus atq; laicis ad Episco-
pum in ius ire, quasueinde sententias, & litium, cau-
sarum, rerum, æstimationes auferrent, eas ratas & le-
gitimas haberi, perinde atq; si altero foro essent latæ.
Statuerat hoc ipsum, iam antea Constantinus ille, cui
Magno ex virtute cognomen fuit, dederatq. prouoca-
tionem à Magistratibus, & præfectis urbium, ad Pontifi-
ces, & Episcopos, cum graui denuntiatione, si quis eam
Ecclesiæ potestatem imminuere, aut violare esset ausus.
Sed cùm variante ac immutante res omneis æuo, multū
Ecclesiastico foro decessisset eius authoritatis, iamq.
plena pij sensus lex abrogaretur ipsa desuetudine, Ho-
norius eam Mediolani firmauit ac restituit admiratione
virtutis, quæ videlicet eminebat in Pontifice Simplicia-
no, scripta lex est Mediolani VI. x al. Aug. Honorio Au-
gust. quartū, & Eutychiano Coss. Mox Honorius idē
sanxit alia lege, vt quotquot orbe toto templa starent
inanibus dijs, ea, vel darentur excidio, vel in veri Dei
cultum religionemq. transferrentur, si quidem ea forent
descriptione ac structura, quæ facile posset ad Ecclesiæ
consuetudinem, & usum accommodari. Fa lex Gentili-
tatis vniuersæ reliquias perculit, & confudit, indigna-
tione, pudore, metu. Sustulerant enim fortè animos hoc
tempore, decepti, ac illusi mendacijs oraculorum, &
Christianæ rei adesse finem insanientes vaticinabantur.
Haud ego ambigam, quin Basilica Martiris Laurentij,
quæ fuerat Herculis èdes, ea lege reliquerit inane nomēn;

A a a

&

& in Ecclesiæ partem concesserit. Ac pro dignitate quidem & incrementis, & amplificatione Catholicæ religionis hæ latæ leges fuerunt: illa pertinuit ad modestiam & disciplinam, quam in quarto Carthaginensi conuentu per idem tempus grauissimi patres tulere, fuit autem huiusmodi. Clerici, ne barbam, neue Cæsariem alunato; raso vultu, capitibus tonsis incedunto. Ea lex, & facile tunc in Mediolanensis Ecclesiæ conuentudinem est inducta, & nostra demum ætate, cum longo interuallo, reuocaretur, non paruos animorum motus fecit satisq. constat, cum obediéter ac promptè raderet alij contumace mento quosdam inutile pondus ostentasse. Adeò sibi mortales etiam deformitate placent, & sumus in futilitate pertinaces, in fastu contemnendi. Per hasce grauissimas actiones & decreta, queis Magni Simpliciani æxum inclavit, subibat annus, à Christo nato quadragesimus, qui Simpliciano ultimus fuit, cum Sisinius, Martirius, & Alexander, Martirum numerum auxere. Et magna tremendaq; res poterat videri sub Catholicæ principe, secundo religionis cursu, Ecclesia florente, nisi post Cæsaris edictum, & gentium iras, iam eiusmodi cladibus insuererit. Quia mortales eorum exsuviae, sunt inter opes Ecclesiæ Mediolanensis casum ipsorum explicabo. Vigilius Episcopus Tridenti studio Catholicæ religionis, & sanctitate vitæ, fuit Ecclesiasticæ rei per ea tempora non ultimum ornamentum. Is cum per Anatoniæ valles aliquot suæ Dioecesis pagos in antiqua Gentium prauitate ac errore perstare cognouisset, legat eò Cappadoces hosce Clericos, cum eiusmodi mandatis, uti pertinaces, & indomitost agrestium illorum animos,

varie

varietate tando, ac blandiendo, simul docendo, & arguedo, prout initia sese, & progressus darent, allicere ad Christum, & ad salutem conarentur. Pollebant vnumquisq; doctrina, fortes animi, prudentia, & lenitas inerat, planeq; crediderat Vigilius, cum manum hanc ab sese demitteret, aut posse monitis eorum, & prædicatione conuerti paganos, & illas veluti silvas interlucari, aut, si contumaces resisterent, conclamatum in perpetuum fore negotium, deploratamq; gentem. Hoc nimurum euenit. Nam vbi diuini concionatores ingressi tractus illos insanos, cœpere, Deum vnum, æternum vitam, parata præmia rectè factis, ob scelera sempiternos ignes & alia Catholicidogmatis elementa narrare; simul vbi raptim excitauere templum confestim agresteis exarsere toruis ingenij, & auctoribus vitæ illico necem machinantur. Sed ea, dolum, & insidias requirebat, ob Cæsaré, quæ aliquo tamē modo vindicē pauebant. Igitur, dum moras, & necessaria interualla dant sceleri, dum itinera & egressus obseruant, pauculos adhuc dies, & breue concionandi spatium habuere. Mox exitum approperauere, cum intentos sui moris tripudio, ac superstitione saltationi barbaros acrius increpuissent. Tunc enim erupit furor, &, quod certam in diem, certum in locum destinabant, repræsentauere præcipites animi. Facto repente impetu, & concursu perimuntur, Sisinius, Martirius, & Alexander, isq. suscep-tæ expeditioris euentus fuit. Lacera Martirum corpora collecta inde, & sublata piorum studio Tridentum ad Episcopum adsportantur; & ille gratissimum Pontifici Simpliciano donum misit. Tradit Paulinus, eo ipso

Aaa 2 temporis

temporis momento, quo diuina fercula Mediolanum adsparentur, Ambrosium ipsum in Dalmatiæ finibus, cæco cuidam apparuisse, cùmque ille rogasset, ut si bì redderetur atq. perennis foret, ea lucis usura, qua diuinos vultus adspiceret, hęc verba, vt clare audiretur, elocutum; ire te Mediolanum oportet, ac ibi oculorum aciem ab amicis meis impetrare. venisse deinde cæcum in urbem, & protinus vidisse. Corpora Simplicianus in Mariæ Virginis Aede, quę nunc Diui Simpliciani Aedes dicitur, collocauit, ac fuere ibi obscura in sede, donec ab Sancto Antistite Carolo nostrorum temporum opulentia cæremonijsq. decorarentur Gentem ipsam, quæ peremerat Apostolicos homines, fama est, fulgetris & horriso statim fragore perculsam agnouisse suum scelus; Caesaris iussu coniectos in vincula, qui sacro sanguine manus impias temerassent; voluisse ipsū promiscue in omnes animaduertere, nisi deprecator Simplicianus obstitisset: inde genti lucē obortam tñ, & suscepta sacra, templumq. ibi positum esse Marciribus, quod eximia religione hodieq. patrium detestantes errorem colant. Simplicianus, tortio sui Pontificatus anno decessit, sub Siricio Pontifice maximo; templum & cælestis religiones Anastasius alter declarat. In Aede Marianā est tumulatus; sic ipse mandarat, creditumq. est hanc eum, sibi quietis ultimæ sedem elegisse quodam exemplo Pontificis Ambrosij, vt, quemadmodum ille, domicilium elegerat, quā Geruasij, & Protasij Martirium ossa condidisset; ita quiesceret ipse iuxta Sisnum, Martirium, & Alexandrum, quorum artus & reliquias parideuinxisset officio ac munere. In referendo Martyrum, casu,

caſu , ſecutus ſum traditā de iphis in vulgiſ , & recepta
famæ veteris eonsenu . Sed iphiſ ad Simplicianum
litteræ Vigilij certius apertiusq . rem totam habent , qua-
rum ſumma fuit huiusmodi . Vigilius Simpliciano .
Quamuis Excelſo loco ſitā virtutem in Dei hominumq .
conſpectu , noſtriſ verbiſ illuſtrari non ſit neceſſe , præ-
ſtetq . cæleſtia merita ſilentio venerari , quām orationis
culpa deterere : tamen impulit officij mei munus , vt
noui Martyrij ſeriem explicare , per cauſas , & loca , va-
riosq . ſuccesſus , & pi j quodammodo ſanguiniſ vocem
litteriſ hiſce confignarem . Namq . dum in aperto nuper
agro fundatiſq . recens Ecclesijs lētam Euangeliſ ſemen-
tem faciunt homines Apostolici , perpeſi grauia multa
& aspera , vexati contumelijs , iniurijs tentati , quaſi per
patientiæ gradus , iſam demū reportauere coronam , &
occatione gloriæ gloriā inuenere Cælibem vitæ for-
mam ſecuti , ac inſtructi litterarum adiumentiſ , atten-
tiq . & ſolicii ſuas innoxiā animas hostiarum inſtar ob-
tulere Deo . Primus eorum Siftnius nomine pacem attu-
terat barbaris , atq . legationem obierat ita , vt nihil tra-
heret , è fōrdibus hospitijs , cūm ibi annos aliquot mora-
retur , ac planè veluti Loth alter inter infandæ gentiſ
homines egit . Is tanquam ouicula , circumfrementi-
bus lupiſ , quaſi ſuit ſibi cauſam , atq . templum in ea re-
gione posuit primus , eoq . merito nimirum eſt asſecu-
tus , vt ſicuti grandior erat natu , ita prior in cælum iret .
Proximus huic Martyriuſ lector erat munere , qui cūm
è Cæſaris caſtris ad Christi ſigna transiſſet , nomen ip-
ſum habebat inter cauſas , & in uitamenta , quo promp-
tiuſ martirij decus æmularetur . Parentum , & fratrū
abruſerat

abrupterat vincula forti animo , totus vt incumberet in eam partem , ac ne vlla votum humanitus cura distineret ; legendo & concionando , premendoq; corpus assiduis laboribus & inedia , meruerat coronam , efficeratq; ne gratuita videretur palma , quā tulit. Consanguineus huic Alexander , pari flagrauerat voto ; Diaconus erat, & præcipius ac natius instinctus illi, distractare sacrificales impiorum apparatus , intercipere hostias ac prohibere. Id videlicet saeuendi principium atq. incitamentum fuit . Arreptum die quodā afficiunt multis lœtalibusq; plagis, ac postero die decubentem ex earum dolore, trahunt, feriunt , vrunt barbara feritate, donec absumeretur . Simul Lectorem , & Ostiarum quos fortè deprehenderant vulnera fratris obligantes, ad necem petunt . Facilè hi sunt exanimati , cùm Diaconi vita tardiore exitum inuenisset . Struem, & ligna rogo ipsæ Templi trabes præbuere , quod primo statim ingressu de suis angustijs collationibusq. bonorum edificarent . Nunc in eodem quo cecidere loco, nos aliud excitare templum paramus , quod monumento sit ad posteros, sedem eam incliti cruoris esse . Tuas pro salute nostra preces cū Sanctorum precibus esse coniunctas velim , quandoquidem ipse quoq; Sanctus . Dies Martyrij fuit ad IV. Kal. Junij matutinæ lucis exortu . Hæc ferme Vigilius ad Simplicianum vnà cum reliquiarum indice , simulq. commentariolo, quo singula fusi narrabantur, scilicet, vt solenni lustrationum die, barbaries irritata has Idolo suo viætmas destinasset , cùm ab ea fortè superstitione ducere nō nullos institissent; vt impacta tuba Sifinio , vr fugam tentasset Alexander hor.

horrore simulacri, vt retractus, vt illusus, vt lignea ge-
stamina pependerint collo, vt acti per arua bestiarum
in morem, ipreuerint blandimenta, minas, & sui quisq.
funeris conspectum horribilemq. pompam, & ipsum de-
niq; funus. Reliquiae, Bripium (Mediolanensis agri lo-
cus est,) inde Mediolanum allatae Simpliciani cura, diu
fuere miraculorum sedes, nostraque demum ætate.
D. Carolus addidit gloriam, cum eas in publicum
efferret apparatu tanto, quantum vrbis, & Viri no-
men claret. Sed & vrbes alia partem harum reliquia-
rum accepere, præsertimq. Brixenses id hodieq. munus
seruant. Causa licentiae fuerat barbaris in Martyres ea-
dem illa, quæ toto passim orbe cultores alios Idolorum
hoc tempore stimulare cœperat in Christianos, veteri-
bus odijs materies, & sacris sanguinis læta rursus cala-
mitas, atq; post diuturnā pacem noua præliorum ori-
go. Nanq; cum illa sanctissimi decteti promulgata lex
fuisset, vti tempa Deorum abolerentur, idq; Cæsaris
edictum secuta strages irritasset eorum animos, qui con-
tumaces in prisca superstitione permaneret; ab ea vide-
licet ira, Martirium, exoleta iam prope res, & nomen
inua lescebat. Remotæ valles & auij recessus, & vt quæq;
loca longius aberant à securium terrore, plus etiam de-
dere palmarum; quæ Cæsar, & fasces, & imperij reue-
tentia tegerent Ecclesiam, rara, vel nulla fortuna tanti
decoris fuit. Mediolani præcipua securitas rebus, Ho-
norio nimirum ibi sedem habente, velsi quopiam iret,
Stilichone Vicario, cuius de pietate ac religione supra-
est, demonstratum. Stetisset utinam hic intra sui fasti-
gij terminos firmū ac fidei subsidiū Ecclesiæ columnenq;
rebus.

rebus. Sed filia data in matrimonium Honorio, ducā
ipse sorore Theodosij, dum agitat plusquam ciuilia, suis
& sibi ruinā struxit, quæ post explicabitur. Habitabat ad
D. Protasij, cui cognomen e quercu vir, si quisquā aliis
vnquam fuit, maximè carus acceptusq. populo, & haud
dubio ciuium consensu patriæ pater appellatus. Quo
primū die magistratum inijsset, sollenni iurauerat ritu,
se defensurum Ecclesiæ iura, clericorum honores, liber-
tatem atq; statum vrbis, enixeq. daturum operam, ne
qua seditio popularis, ne qua fierent latrocinia, vt tuti
liberiq. commeatus essent; ante omnia, viduas & orbos,
quæ maxime inualida pars esset, iniuria prohibitum.
Si tardus ad ea, si segnis foret, se caputq. suum deuoue-
rat horribili carmine, precatusq. fuerat, vti tum iratus
Deus flagitij pœnas expeteret. Vicissim ciues ferebant
tributa & vectigales asses ei, ligna, vinum, & alia susté-
tando familatio; ac tuendæ principis dignationi; per
capita, per ostia, regiæ fortunæ cultus in vnam domū
exigebatur, neq. sub onere quisquam ingemiscebat.
Hęc ipsa Galuanus ex Datij annalibus refert, haud sanè
suspecta nobis ob authoris vtriusque testimonium, quos
credidimus, nec ob religionem voluisse mentiri, nec ob
antiquitatē ignorare potuisse. Neq. minuit fidem, horū
temporum magnificentia, & superbæ ac diuersæ iam
principum opes. Illa ætas, illi mores admittebant
multa, quæ nostrum sæculum adsperraretur ac irride-
ret, neq. interest, qua specie ac titulo, fortunæ tenuiores
alant fortunā illā excelsā dummodo semper quidē alāt.
Etiam in Ecclesiæ moribus, & institutis hoc tempore
comperio fuisse multa, quæ recens disciplina Pontificū,

& com-

& communis via decō ri non ferret. Quippe traditum est , crescente quotidie magis Ambrosij desiderio , famaq. virtutum, & miraculorum illius increbrescente, institutum hunc morem à Simpliciano , vt Prouinciales Episcopi, quanuis dissiti terris , graues ætate, distenti sui munera occupationibus, absq. discrimine vlo, vel excusatione , Mediolani per hebdomadas in orbem adfiant , facturi rem diuinam in Ara , quæ nimurum inclitanti viri reliquijs , & nomine, patere deberet ad sacrificandum illis tantummodo, quos dignitas Pontificia faceret venerabiles, & augustos. Tunc scilicet Episcopos, vt sua quemq. dies admoneret , ex varijs Prouinciæ locis , longiore quam hodie distant interuallo , ire in Metropolim hanc consuesse, defunctosq. rite vice sua , pariter celeritate domos remigrare. Domicilium in vrbe fuisse constitutum hebdomatico ad tertium inde lapidem, quæ parua nux D. Georgij templo cognomen fecit . Ex eo domicilio, Pontificem, cuius esset hebdomada, pulsū campaniæ excitari solitum intempestæ noctis silentio , matutinus ut sisteret ad Aram . Mansisse solenne hoc, donec pertaesī spatia viarum irrequietosq. cōmeatus Episcopi , contulerint in medium vestigalia, & stipes large suffecturas in ea sacra , dederintq. sui munera viarios, ac ita duræ peregrinationis incommodo, & labore sint leuati. Memorat hæc ipsa Galuanus idem, quem poterit appellaresi quis fortè laborabit admiratione nouitatis . Ea si vera fuit cæremonia , caderet in Venerij tempus , quem successisse Simpliciano , litteræ omnes consentiunt. Fuerat hic etiam in Ambrosij contubernio & disciplina , quidiuinis litteris, & arte regendi popula-

B b b res

res animos imbutum iuuenem per Ecclesiasticos grādus ad Sacerdotij apicem euexerat. Postquam receptus ille Cælo, suam Simpliciano vigiliam reliquit, collega munieris huic, meritus est, ut cùm ipsi quoq. mortalibus rebus exempto successor quæreretur, neminem esse aptiorē, illi quorum intererat, iudicarent. Neq. recusauit inclitus vir, interiore sensu mansuetus, & humilis, cæterū natus ad res gerendas, & alto quodā animo cupidus Ecclesiæ constituendæ. Itaq. nouerat statim fama nouū Episcopum, & frequenter ibatur ad illum ab Ecclesiæ principibus, vbi res aliqua grauior incidisset. Inter Acta Synodi Carthaginensis octauæ, caput extat huiusmodi. Quoniam Africana Ecclesia, non satis Clericorum habet, alijsq. præterea necessitatibus vrgeretur; mittendos esse legatos, Romam ad Anastasium, Mediolanum ad Venerium qui rebus angustis opem atq. subsidium, & ex Italica copia ministros implorarent. Ea petentes legati qui venerint, comperti nihil habemus; missas quidem esse suppetias constat vel ex eo, quod Paulinus alumnus Ecclesiæ Mediolanensis ab huius haud dubie legationis tempore fuit in Africa, & Carthagine apud Fortunatum Diaconum est diuersatus. Inde coniectare licet, alios quoq. destinatos in eam expeditionem, quorum vetustate abierit memoria; nec enim fortasse tūc attinuerit nomina singulorū custodiri, cùm duce ac rectore Paulino haud perinde nobiles, & clari alij mitterentur. Negotij tamen interea satis erat domi, glisceente iam & terpente per urbem Origenistarum lue, quæ fœdaret animos opinionibus absurdis atroci malo quia blandimentis inerant venena, & ferme spargebantur in vulgus ea,

quæ

quæ humanus animus varietate sua, & declinatione rerū
vltimarū adamaret. Origenes, in diuersa terrarum par-
te, centum & quinquaginta annis prior Venerio, edide-
rat in publicū volumina, queis apud multos effusa studia
plausumq. mereretur, apud plures, cū admiratione mi-
sericordiam conciret. Aliás profundus, altus diuinus;
miser aliás delirus, insanus; ac planè cōparandus amni,
qui, cùm puras veheret vndas, lucidior esset vitro, turba-
rus idē & infectus obscuræ nocti simili s manaret. Errores
& dogmata eius hæc ferebantur. Liberatorem humani
generis Christum, nequaquam ex vtero mātris prodij-
se; sed factum extitisse repente diuinitus. Eundem Pa-
tre minorem esse, dispari, tum veritate, tum luce; cæ-
terū, propter nostri luminis imbecillitatem, quæ falso
iudicio, magna pro paruis admittat, haud dubie parem
videri. Totum inde Sanctissimæ Trinitatis mysterium,
comparando personas, & anteponendo, vel postponendo
temeritate sua, confundebat, & admirandam
illam publicæq. religionis consensu receptam æquabi-
litatem nouo turbabat discrimine, quod humanis ipse
sensibus effinxisset. Consimili væcordia, genus homi-
num, Angelorum choros, turbam Dæmonum inuolue-
bat. Posse videlicet ex illis tenebris æternaq. nocte, spi-
ritus impuros atq. contumaces in cælestem denuo lucē
emergere ita, vt ex Dæmone quispiam Angelicam illico
naturam induat, ac rursus aliis è supra illinc classe
deuoluatur ad cateruas vltimas inferorum. Qui mor-
taliū, extremo iudicio reperti fuerint maliprauiq.; hos
in altera vita fore collegas Dæmonum, vicissimq. Dæ-
monas ipsos, si negligentius egerint, in humana cor-

B b b 2 pora

pora, tanquam in fœdiorem obscurioremq. custodiam immutabili pœna relegatum iri. Quibus autem contigerit vacillare tantum & labi, nec verò ferri præcipites in crimina, & noxas, quoddam hisce paratum esse magisterium, ut in varios Angelorum ordines, admonendi, & regendi, imbuendi melioribus institutis diuidantur, atq. maneant in ea disciplina, donec Mundus ultimo conflagrauerit igne, successeritq. noua moles in plures discrete Mundos, quorum aliquis proprius, & separatus illis adsignetur. Omnia, quæ constent ex corpore, penitus esse dilapsura, vel certè, si quipiam ex corporata retinuerint natura, id ipsum fore simillimum ætheri, cælo, rebus ve tenuissimis alijs, si qua res intelligi tenuior atq. purior possit. Id ipsum nihil aliud erat profecto, quam reuiscendi spem vniuersam abrogare mortuis, & nostros eripere nobis artus, quos relinquimus ea conditione, vt etiam cum formæ atq. virium incremento recepturi olim eosdem simus. Ad hanc formam erant alia pleraq. inania & falsa, deprauandis animis atq. trahendis in exitium, non quidem ipsius authoris prauitate doloue malo, sed improviso quodam errore, & solita magnorum ingeniorum calamitate, ubi communia primùm, & vulgata, deinde recondita & arcana, postremo suum homines ipsi captum anteuenerere. Verum Origenes quidem cōmuni mortalium sorte dudum vixerat, neque muta iam volumina, satis ipsa per se facerent momenti spargendis opinionibus instituendæq. sectæ. Post extiterere nonnulli, quos eius illecebra nouitatis, & prompta in defunctum studia necterent vinculo, & in vnam quasi familiam congregarent. Rufinus ante alios adamarat

hæc

hæc portenta, dederatq. sedulus operam, ut veram eam
esse rationem, ea summa mysteria persuaderet, nec
singulis modò viritim, sed magnarum urbium populis;
& huius primùm arte, dein asseclarum cura, perniciem
accepere, prouinciae, regna, caputq. rerum Vrbs illa,
cuius nomen & adspectus, & constitutum ibi domiciliū
religionis absterrere poterat Origenistas, ne cum insa-
no suo dogmate gressum illuc inferrent. Simul ausi pe-
netrare Mediolanum, caq. Venerio materies arguendi,
confutandi, sanandi quos posset, coercendi medicinam
adsperrantes alios, cauendi ne corruptæ iam animæ
contagione sua diffunderent latius pestem, ea libidine,
quæ ferme querit socios exitij, tanquam, vel perire so-
litarios pigeat, vel cadere cum multis, ea demum sit
salus. Plane fœda res & abominanda, in urbe, quæ
paulo ante trecētesimum annum, ab Apostolo Barnaba
Euangelium accepisset, quæ tot spectasset Martirum mi-
racula, tot exhibuisset, ac prope, sicut altera Roma
dici posset extructa Sanctorum sanguine, in qua de-
mum, recens Ambrosij nomen, & vita, & ad profili-
gandos Arianos, tam manifeste præsens Numen, in-
faustique rebellium exitus, deberent esse vinculum fidei,
frænum illis, quos rebus adigerent nouis, dulcedo ipsa-
rum, & suæ mentis inconstantia. Tanto magis niti Ve-
nerius aduersus initia tanti mali, sollicitusq; & intentus
agere, ne urbem, quam sanam, & integrum accepisset,
eam inuolutam peste relinquere cogeretur, quando-
cunq; decessurus esset. Neq; tamen in eo conatu cade-
bant omnia sicut volebat, & quanquam excuterent, ip-
sus verbis, & castigatione quotidie nonnulli quæ iam
admi-

admisissent opinionum flagitia , plures ea retinebant animis obstinatis , interpretemq. magni secreti , atq. tantarum rerum indagatorem Origenem admirabātur . Mox adfuere Pontificiæ litteræ decretumq. Romani cōciliij, quibus litteris & decreto, publicaq. Patrum autho- ritate Venerius admonebatur , damnatos esse Origeni- stas , & omnia , quæ defidei ac rerum elementis author nominis illius , ex vero & antiquo, inficta , & noua cor- rupisset. Damnationem eam vti promulgaret , ostende- retq. suæ vrbis populo , quid congregati diuino spiritu Patres censuerint . Ea demum res vrbi salutem tulit reiectisq. deliramentis , in sua se se catholica dogma- ta Mediolanenses collegere . Successit huic aduersus Origenistas actioni, noua quinquennio post, Venerio se- ges gloriæ , campusq. virtutis . Insana mulier Eudoxia coniunx Arcadij capitalibus odijs infensa Chrysostomo , cùm per suæ factionis homines eum exturbasset , vindicta Numinis ira strauerat illico Palati partē , eoq. portento conterrati principes Pontificē innoxium restituēre suam in sedem . In sequente dein anno , maiore correptus inimicorum impetu , relegatur in perpetuum , neque rediit , donec finita vita , corpus ipsius , bono- rum omnium humeris , & Orientis vniuersi gratula- latione reportaretur . Ea negotia cùm Orientalem Ec- clesiam tumultuosissime scinderet in partes , circumuen- tusq; Chrysostomus Apostolicæ patientiæ exemplum præberet ; mota est Occidentalibus Episcopis cura , vti ferrent opem exuli , demerentq; sæculo tantam igno- miniam & labem , quanta susciperetur , si uir ille dam- natus exsulij pœna memorari posset hominibus su- turis

turis. Itaq. venere Romam ex condicō grauissimus quisq. Chromatius ab Aquileia, Venerius Mediolano, ex alijs viribus alij, quos angeret rerum indignitas, & ille quasi de virtute triumphus improborum. In eo conuentu, cūm Patres agitarent inter se, quęnam expeditissima foret restituendi exulis via, censuere optimum factu, si communiter agerent cum Honorio, precibusq. iunctis ab eo peterent, vti commendaret Arcadio fratri Constantinopolitani Pontificis causam. Ille benigne rem suscepit, misitq. legatos, & litteras ad fratrem de cognoscenda causa Ioanneq. restituendo. Consilium id fuisse Venerij facile coniicitur ex eo, quod scriptor harū rerum Theodorus, in memoranda legatione, refert, suas eum litteras Honori litteris adiunxit. Sed longe grauissimum aliud eius rei testimonium extat ipsius ad Venerium Epistola Chrysostomi, cum insigni gratiarum actione, & laude, nauatam ob operam, simul cohortatione ad ea conficienda quę superessent. Exemplum eius epistolæ, Gulielmus Sirletus Cardinalis Mediolanum ex vrbe Roma transmisit, cūm ad eam diem fuisset ignota nostris hominibus. Est autem huiusmodi. Sancti Patris nostri Ioānis Archiepiscopi Constantinopolis Chrysostomi Epistola ad Venerium Episcopum Mediolanensem. Fortem vestrum, & virilem animum, itemq. veritatis vindicandæ fiduciam, & prædicandæ libertatem, tametsi vel antea cognoueram: fecit tamen temporum conditio, vt ipsa quoq. appareat summa fraterna benevolentia, & charitas & pietas, ac frequens commiseratione, & diligens deniq. procuratio vestra Ecclesiarum. Nimirum, vti vel in mari gubernatorem, qui sit optimus,

„ mus , magnæ tempestates , vel in corporibus peritissimū
 „ medicum morbi difficiles ostendunt : ita , qui ad stu-
 „ dium pietatis vitam omnem compararit , quiq. animi
 „ magnitudine præcellat , facile rerum declarant asperi-
 „ tates , & temporum. Quod sane accidit iam vobis; tum
 „ verò pro parte vestra probe omnia administrata , nec
 „ quicquam prætermissum. Sed quoniam homines , qui
 „ istas , & pariunt perturbationes , & pepererunt , eò per-
 „ uenerunt prauitatis , vt non modo non defungi priori-
 „ bus , sed certare etiam cum ijs conentur : moneo vos
 „ atq. hortor vniuersos , vt prompte animum valentissi-
 „ mum adhibeatis , neq. istud dissolui tātum studium pa-
 „ timini. Quin intendite magis , etiam si mille accident
 „ difficultates. Etenim qui sudoribus atq. ærumnis pluri-
 „ bus , magnum aliquid , & homine generoso dignum ob-
 „ ierint , maiora ij præmia consequentur quàm qui facile
 „ & nullo negotio idem confecerint. Siquidem vnuſquisq.
 „ [quod Beatus inquit Paulus] tantum mercedis accipiet
 „ quantum laboris exantlarit. Quamobrem minime ista
 „ vobis diutina farigatio causam afferat desperādi , verūm
 „ potius ipsum decus excitet . Nam quò grauior ad ten-
 „ tationem fit accessio , eò auctior erit ad coronas adiun-
 „ ctio affluentq. amplius vobis debita certaminum hone-
 „ storum præmia. Hæc Chrysostomus ad Venerium , neq.
 „ nos vltra Græcis hisce turbis immiscemur . Mediolani
 sequitur tempus irruptione turbulentum externa , &
 Gothorum arma nunc , atq. superfusam Catholico gregi
 barbariem , quoad instituti nostri ratio patitur , exseque-
 mur . Non enim importunum Arij genit; & plena fu-
 roris aula plus malorum olim in Ecclesiam inuexit , & in-
 ter

ter sacrorum clades hanc quoq. vel maxime exitiabilē numerare licet. Quamdiu pacatum imperium Honoriūs habuit, sanè prospero res Ecclesiastica cursu procedebat; & sacra frequentabantur, & sacrorum antistites in honore erant, duodecimo demum anno, postquā is regnare cœperat, Gothi, dirum genus, Italiam ingressi, simul imperio, simul Ecclesiæ vastitatem intulerunt. Radegadius imperabat genti, quē alij contracta voce Radagasm, nonnulli Rhadagaysum appellauere, fero vir ingenio, & qui super cæteram immanitatem, naturæ quodam instinctū religiones omneis auersaretur. Is, cùm spe præmiorum & victoriae, suos animare vellet, fertur apud Danubij Ripam, ara excitata, christianum sanguinē libasse barbaro ritu, & iurasse non positurum arma priusquam Romanum omne nomen dedisset excidio. Duenta millia sub signis habuisse fertur, præter imbellem turbam, quæ secuta viros aut parctes, ætatem & sexū in arma paulatim aptabant. Hoc tanti robur exercitus, Gallica & Hispanica regione latè peruagatum, vbi subiectos alpibus campos insedit, intremuerat Populi, & à religionis cura, se se principes, vt ferme fit, ad tutelam humanarum rerum auerterunt. Ita, cùm paribus ab nostra parte copijs obuiā iretur, & omneis homines induerent arma, citius omnino quād credi possit, militia effravuit animos, atq. statim ædes sacræ, militares in casas, milites ipsi barbaros in mores foedo spectaculo concessere. Italij totius id commune malum fuit, nec fermè villa maiora Ecclesiæ clades memoratur. Et Vrbs Roma, quæ asperis in rebus prælucere cæteris ad fidei constantiam deberet, adeò consternata est, vt causa totius ca-

Ccc la-

lamentatis in Christi cultum reiecta per insaniam, pristina profana sacra reuocarent, atq. sancirent capite, ne quis in posterum ab auta religione deficeret. Par Mediolani vœcordia, & pares animorum habitus erant, vt in ciuitate, ad omnes Romanæ rei motus, varia semper & mutabili. Venerius adhuc moderabatur Ecclesiæ Mediolanensi, doctrina, & moribus inter primos illius ætatis, & diuina face succensus amplificandæ religionis. Hic, verbo & exemplo itemq. gratia & lenitate, ciuitatem in pia studia totam efformare cœperat, & credebatur illum Ecclesiæ statum in perpetuum esse firmaturus, qui sub Ambrosio fuisset ante tu multus Arianos. Enimvero, postquam stragem diuini cultus, & potentiora profana sacris animaduertit, ad gregis & Ecclesiæ defensionem intendit animum, statimq. novo certaminis genere cum armatis inermis, & ipsa cum furore tranquillitas pugnare institit. Ille turpeis inquilinos eiecit templis, ille restituit aras, illius auctoritate, libido multorum attonita, glutitam spe & cogitatione prædam haud semel amisit. Inter cætera, illud memoratur insigne. Mediolanitemplum est præcipuae celebritatis, origine primæua sacrum Herculi; postquam Christus Dæmonem, Christiani gentilitatem exturbarunt, Laurentio Martiri sanctiore dicatum titulo. Id templum, quia laxo patebat sinu, eratq. claustris ad vim arcendam egregie munitum, Gothica cohors occuparat, cum reliqua multitudo, pars fixis vrbe tota tentorijs, ad ciuium damna cædesq. discurreret, pars, quacunq. belli moles incubuerat, cum exercitu nostro dimicaret. Igitur ibi manipulares, nulla reverentia sacri soli, tamquam in ganea & popina, sacrilegum etiā apud

apud ipsos Dæmonum cultores, alea, ventre, & omni re-
liqua fœditate lasciuiebant. Non tulit Pontifex igno-
miniam, quæ, licentia, & importunitate quotidie impen-
sius crescebat. Stat sententia, sacram ædem ab illa in-
dignitate vindicare, quoquomodo; aut, si minus id pro-
cedat, in ipso pulcherrimæ rei conatu vitâ ponere. Itaq.
re diuina peracta cum ea precatione, ut bene ac feliciter
eueniret, quod de reprimendo barbarorum furore ha-
bebat in animo, ad illud templum rectâ contendit insti-
tuto supplicantum agmine. Præibant clerici sacerdo-
tesq. sequebatur ipse maioris formæ baiulans crucem,
latera cingebant e præcipua nobilitate nonnulli, qui sa-
cri capitis desiderio & caritate periculum fortiter omne
spernebant. Quacunq. progreditur pompa, cōcursus,
& ex militari tumultu repentina fit quies. Mirantur cru-
cis trophæa portantem Episcopum, & cūm horreant ar-
matis viæ, misceatq. Mars cruentus omnia; imbellis, &
quieta cohors, quid sibi interim velit, exspectant. Adiun-
gunt etiam agmini sese complures, neq. barbari, cælestē
violare manum audent. Quippe, miserabilem ad sonū
inflexa psalmodia, & eminens in singulorū vultu pietas
ac dolor, simul canitie veneranda Pontifex oneri propè
succumbens, quamuis immites & sanguinarios animos
iniecta diuinitus religione continebat. Vbi ad templum
peruentum est, patenteis fortè portas inueniunt, & om-
nia disiecta inter temulentos. Ita gradum intulere sup-
plicantes, & dum ingrediuntur, accedit res, quæ nisi in
Dei potentiam referatur, haud dubie fidem excesserit. Go-
thi cùm ad crucis adspectum aliquandiu fluctuassent, dif-
fugere simul omnes, nec deinde fœdauere templum il-

CCC 2 lud.

Iud. Per hunc modum vindicata Laurentianæ Aedis est religio, & restituta maiestati suæ pristinæ. Sub idem tempore, aliam, neq. minore animo, euentu etiam admirabiliore Venerius actionem suscepit, qua Gothicæ multitudinis licentia compressa & frenata est. Rapuerant ex ingenua domo virginem adolescentulam, quæ tædio rerum humanarum cælestes gerebat spiritus, & florem libatum summa religione conseruabat. Fit ad eum raptum tota vicinitate clamor, & propter claritatem virginis, parentum lacrimas, concursum omnium, indignissima res etiam furentibus videtur. Non tamen audet obuiam ire quisquam. Ita sacrum honorem, & inferendum olim cælo decus mancipia Dæmonis erant violaturi. Trepidat ad Episcopum aliquis interea, totam indignitatem exponit, & periclitanti puellæ supplex implorat opem. Ille, paterna extimulante cura, cum Præfecto cohortis impuræ, sine mora expostulat iniuriam, gentium & naturæ memorat ius, virgo saltem, ut dolori suo redo netur, petit. Magnum Venerij nomen erat etiam apud barbaros, & propter vnicam virtutem vulgo omnibus admirabantur. Itaq. motus legatione Centurio, capitales illicò minas intentat militi, nisi euestigio dimittatur domum adolescentula. Dimissa statim, & in tutum recepta est ab illis, qui raptorem velut expugnaturi lacrimis, & quiritatione sequebantur. Venerius inde, quod haud ita facile Gothicam è ciuitate tolli posse colluuiem arbitraretur, ne periculum inde semper immineret pudicitiae, consilium cepit hoc prudentię plenum & caritatis. Præcipua firmitate domum siue precibus eblanditus, siue pretio coemptam munit insuper quantum potest, ac omni

omni prouidet ope, vt à temerario militum discursu, & euagatione sit tuta. Præterea sacrat religione locum, aram, & alia, quæ sunt colendo Numini, animisq. curandis addit. Huc sexum inuitat maximè opportunum iniuriæ, & inclusis intra claustra, diuini auxiliij spem facit. Simul in omnia discrimina casusq. solicitudinem ipse quoq. offert suam. Dedito per urbem rumore, virgines multæ, vel suo ipsæ instinctu, vel hortatione parentum, in eam domum conuenere, donec impleretur. Successit deinde quod superis cordi esset, quodq. Venerius ipse destinarat apud animum suum, cùm illud pudicitiae asylū aperiret. Congregatæ in vnam sedem adolescentulæ sciplas adstrinxere legibus & disciplina, & propè Monasterij formam celerrime res venit. Capita legum earum, partim habuit rata Pontifex, partim salubriore tempore rauit modo. vniuersum verò corpus & formulam sua in perpetuum authoritate sanxit ac firmauit. Præerat cunctis illa ipsa, quæ principio de faucibus erepta barbaro, monuerat periculo suo pastorem, vti septa hæc infirmo pararet gregi. Notæ probitatis homines ibi in vicino quotidianas ad necessitates excubabant, ne videlicet in publico ipsæ vñquam adspicerentur. Cætera, quæ pertinerent ad viçtum & cultum, prouiderant parentes, aut propinqui. Hæc cœnobij muliebris est origo, quod Mediolani fundatum est, auctore Venerio. Tamen in re certa, & aperta, manet ignoratio nominis ac loci, vt neque quomodo cœtus ille appellatus, neq; vbi sitæ ædes fuerint, vlla extet memoria. Dum Gothicæ licentia Mediolani sœuit in hunc modum, itq. Venerius obuiā artibus, & prudentia, quam haud dubie Numen regebat; Ambro-

brofius diuersa in parte, suum, & Mediolanensis Ecclesiæ nomen, inseſtatione gentis eius, veluti renouauit è cælo . Vrbs Florentia , belli cladibus, & obsidione, magis acri, quām diuturna, iam prope ad extreimū venerat , fessisq. ciues animis ad deditioñem inclinabant. Sed nocte , qua præparatis in id consilium , aptatisq. rebus, ignominiosa dies expectabatur, vñdit per quietem antiquis homo , & probus Ambrosium ea facie & habitu, quo vulgo spectatus fuisset, cùm ibi sicuti demonstrauimus, moraretur . Is loqui visus humano more; Abi, inquit, nuntia ciuibus tuis , Deum ita velle , vt mea Florentia in suo statu maneat in columis, hostemq. qui nunc instat m̄enibus, & cōplet omnia terrore suo, sternat ipsa, & vincat . hæc locutus abiit. Nocturnam eam speciem atq. prædictionem res consequitur ipsa, moxq. Stilico aderat , salutem Florentinorum ferēs in sua dextera , qua Rhadgaysum obtruncauit . Ita nomen Ambrosij magnis iterum celebra- ri præconijs inter Etruscos, magna ibi ob id miraculum in Mediolanensem Ecclesiam studia renouantur , quæ Pontifex concuerat admiratione sui, cùm peregrinare- tur ea in terra . Ex matre Pansophij Paulinus hæc refert accepisse . Ipse dein Stilico fine suo dedit exemplum , ne quis viueret animo securō, cùm cælestis in sua scelera differri iras videret, nimiumq. comprobauit exitu tristi vetus illud , pede quamuis clando consequi penam eas etiam nos as quæ multūm antecessere . Nam cùm olim ille Cresconium sub inuiolati tēpli tutela Mediolani for- rē delitescentem , detrahi passus esset Asylo ; Rauennæ ipse nequicquam in pari metu petijt Asylum idē , arteq. inde (quia vim facere religiosum erat) deductus occi- ditur.

ditur. Cœperat iam pridem esse suspectus, tanquam ob
regia matrimonia, rerum euentus, vastum animum, ægre
se contineret in secundo post Cesarem loco, Gothicūq.
bellum aleret, ut succinctus hostium armis hostis ipse
magnivoti fortunam experiretur. Ob id crimen eamq.
suspicionem profugus in templum, amplexus aram, loci
se se religione tuebatur aduersus Principis, & militum
iras. Accedunt delecta militum cohors, amicorum in-
timi, assumpto simul in dolí partem Episcopo, dant ordi-
ne omnes fidem, impune fore, si decedat è sacro solo seq.
liberam in custodiam permittat. Ut se permisit, neca-
uere. Nec multo post, adduntur paternæ, neci filius & filia
magne domus excidium. Seueræ luctus implacabilis, que
Mediolani multum interim anxia de salute prolis, & viri,
fecerat vota, posuerat aras, Basilicamq. Nazarianā stra-
uerat marmore, cuius quadrata segmēta visuntur in hūc
diē. Hic Stiliconis exitus fuit. Venerio Pōtifici, cùm ob ea,
quæ narravi, maior in dies auctoritas, maius quotidie no-
men aecresceret, fremebat procacissimi barbarorum, &
vnius hominis obstante libidini suæ constantiā indigna-
bantur. Itaq. sæpe appetitus ad necem, sæpe versatus in
ultimo discrimine, semper tamē diuina tutela protectus
obijt mitifine nono anno postquam Ecclesiæ gubernacula
suscepisset. Ac tanta fuit infectatio, ut, qui scripsere res
eius qui, Gothicis malis, atq. calamitatibus extinctum
consensu ferme omnes tradant. Venerius Nonis Maij
discessit ex hac vita sub Anastasij finem & Innocentij suc-
cessoris initia. Episcopo mortuo, status Ecclesiæ Medio-
lanensis hoc tempore mihi maxime miserabilis est visus.
Nam et si calamitates aliæ grauissimæ ex omni memoria

in.

in monumenta sint relatæ, quas, aut rebellis populus, aut alienus princeps, aut infusa peregrinitas intulerunt, fure
re tamen omneis eiufmodi, ut simul exortæ, simul disie-
ctæ videri possint. Scilicet, aut Roma caput rerum, la-
boranti Prouincię subsidium erat, aut ipsa per populares
suos Ecclesia, spem pacis, & quietis tentabat aliquam
aut, si opes humanę cunctarentur, diuina bonitas ex tur-
bido ac tristi die, tranquillum, & serenum dabat. Nunc
vexati quotidianis incursionibus ciues, vrbs obfessa pri-
mò, dein capta, fugitiuus prope Cesar, proprio
quisq. metu fluctuant, & Iceleribus iratum Numen,
quasi relinquebat locum impio pauori, tanquam ex eter-
na sua, & humanis argumentis impenetrabili cura, & di-
spensatione penitus omisisse Remp. videretur. Habuere
tamen paulò post in tantis angustijs, & in tanta rerum
perturbatione Mediolanenses Episcopum qualem tem-
pora postulabant. Marolus is fuit, Sirus patria, familia-
ris Innocentij Primi, & ab eo collocatus in hac vigilia.
Inclitum Maroli nomen commendatione sobrietatis, &
patientię, ceterum nullis insigne rebus inter annales re-
peri. Magis id adeò quia perierit memoria, quā quia ipse
cessator fuerit, arbitror factum. Etiam spatiū ipsum Pō-
tificatus illius est in incerto. Panuinius nouem, Galesi-
nius & Vaticani codicis auctor quindecim sedisse annos
tradunt. Nos quadringentesimo nono anno factum E-
piscopum, in vigesimum quartum seculieusdem annum;
ita vt, treis Pontifices Maximos, Innocentium, Zosimum,
& Bonifacium fuerit emensus, peruenisse credidimus.
Nam neq. voluentibus omneis litteras, omnia monumē-
ta, quisquam aliis per id æui, Ecclesiæ Mediolanensis an-
tistes

cistes occurrit, & tamdiu præesse ipsum oportuit, siquidē Innocentius Venerio breuissimi temporis interposita mora successorem dedit. Hæc Maroli tempora nullis insignita rebus, quæ gestæ fuerint in Ecclesia Mediolanensi, veluti luce nobis lucent aliena, & in tota Christiana re per eos annos euenerunt multa, quæ nomen etiam Ambrosianum attingunt, & venire nobis in partem operis debent. Illud quoq. gestum admirabiliter in prouinciæ finibus propè iuris est nostri. Desiderius antiquus homo & probus, in Liguriæ pago tenuem agrum exigua colebat stipe, itaut, manus quidem in abiecto & vili opere semper detentas haberet, animo verò & mente Deū, & superos, & cælestia bona perpetua meditatione contemplaretur. Hæc disciplina vitæ, hi mores erant. Nō die, non nocte cessare, quominus angusti prædioli glebas versaret, quod inde temporis necessariæ quieti dandum esset, id ipsum consumere Christianæ charitatis officijs, & animi sui cultu. Ex agri fructibus, qui prouenientibant vberiores, quam pro telluris modo, partem exigua reseruare sibi, cætera largè in pauperes diuidebantur, iamq. tota illa vicinitate & tractu, vulgo, & patrem & sanctum appellabant. Legebat quoq. plurimum, vel inter ipsa quotidiani laboris opera, vel vbi opere ac labore prohiberetur turbulentia celi, vel oscuro noctis, vel corporis defatigatione. Quippe litterarum rudimentis ab ineunte ætate, quanquam in egena tenuiq. domo fuerat imbutus, & ab eo puerili rudimento, siue docilitate quadam ingenij, siue diuturna cura, & meditatione, siue diuinitus illustratus processerat illuc ut de Christianæ Philosophiæ mysterijs, ac de sempiterna beatitudine

D d d deq.

deq. immortalianimorum vita, siue apud cælestis, siue
apud inferos obtingat, posset haud incommode concio-
nari. Et concionabatur saepissime, vel festis diebus, cu-
cateros agrestis, ab alea, suetisq; ludicris auocaret
vel profestis etiam & exercitis, ut quidq. publicè priua-
timue peccari diuinis in leges animaduertisset. Inerat
authoritas viro, corporis totius habitus plane extra ru-
sticam formam imaginemue. Sermo quoq. grauis &
seuerus, & quamquam flosculi verborum abessent, ma-
gna cum suauitate in animos descendebat. Multi clari
& litterati homines, cum fese, audiendi gratia, circulis
inseruissent, vnde illa vis, vnde spiritus esset, admirabā-
tur. Et iam in vrbes quoq; peruenérat fama, nec procul
erat, ut absordibus æternis, aratroq; & ligone, & squal-
lore, ad ciuilia munera & cultum euocaretur. Sed an-
teuertit Numen, sepositumq; sibi Desiderium, & præcla-
ra cum testificatione segregatum à cæteris ad pastorale
munus exciuit. Lingones in Gallia non opibus & fama,
non origine ac vetustate, cæterisq; rebus, vnde gentium
spectatur nobilitas & splendor, cuiquam virium Galli-
carum cedunt. Carebant Episcopo fortè per id tempus,
& exarferant propè ciues in certamina & tumultus, dum
alios alij profano spiritu sacra tractantes ad eam produ-
cere fortunam conantur. Tunc homini pio & graui,
notoq; commendatione laudis vtriusq; & facile omniū
Lingonensium rerum ob eam famam arbitro ac mode-
ratori, cum fortè nocte quadam praua suorum studia fa-
ctionesq; pertæsus, enixe precaretur à Deo, vti consule-
ret otio ciuitatis ac saluti, daretq; Pontificem qui com-
ponere statum rerum, qui restituere disciplinam, & salu-
tariter

eariter ac recte publicos ordinare mores posset, huic igitur homini sic afflito, sic precanti, diuina repente vox ad aures accidit. Quærerent Desiderium nomine, hunc esse destinatum & paratum Episcopum afflictæ vrbi. Id postquam homo pius & grauis primoribus enuntiauit, atq. in publico gentis Concilio, quæ precatus ipse, quæ dicta sibi, exposuit ordine, & cum fide; nemo quidē adeò contumaci fuit animo ac spiritu, dicta ut in dubium vocaret. Cæterū quisnam, & vbinam ille Desiderius forte, ambigebant. Nemo vnum eminebat ea in terra, cuius nomen & vita cum cælesti congrueret oraculo, neminē fama & auditione nouerant externum, qui nomine Desiderius instituto vitæ par haberetur. In hac ignoratione, publico decreto decursum eò est, Legati Romam vt mitterentur. Ibi Dei Vicarium, ibi seminaria Pontificū, & virorum florem esse, nec dubium, quin monstratum ē cælo Desiderium ibi possent inuenire. Ita Legati sunt missi, & varia communicantes intersese consilia, variosq. de cælesti responso sermones, magnis itineribus in urbē rendebant. Enim uero cùm per Liguriæ fines transirent, diuersi fortè tramites, & regiam viam intersecantia diuerticula quodam loco incertum iter fecissent, suspensis repente habenis, per finitima circumspectant arua, num quis vnde sciscitari possent, appareret. Desiderius ibi in vicino steriles vellens herbas purgabat agrum, & fortasse curuum ac depresso humi corpus, erecta mens in cælum erat. Inclamat voce Gallici homines, & significant manus; neq. senex distulit, quomodo accederet, sublato protinus bacillo, quod per adua, & confragosa fessæ iam etati fulcimentum adhibebat. Simul atq. de-

Ddd 2 scendit

scendit in viam, ore venerando perculit viatores moni-
stratoq. comiter itinere, & prædicto, quas ad laeuam de-
xtramue semitas eligerent, aut vitarent, quæ signa de-
inceps, quasue sequerentur notas, ire felices iubebat, ire
cum Deo. Cum hæc ipsa verba leni, & augusto, pasto-
raliq. Desiderius ore pronunciaret, animaduertere le-
gati, scipionem illum ipsum, quem in senili dextera pri-
mo statim adspectu, deliberatum, & candidum, & arenæ,
varijsq. nodis aduncum oculis notarant, frondescere su-
bitò, ac emicare viriditate lœta & florida. Tunc scili-
cket stupor animis ortus, circumspectantesq. vicissim,
quid miraculi, quid portenti sit illud, alij alios rogant.
Inde in ipsum auersi senem, qui iam auertebat gradum,
quos sit nomine, percunctantur. Et ille, Christianus sum,
Desiderium appellant, id modò cum dixisset, vicinæ for-
ris ignarus abibat. Audito Desiderij nomine, creuit Gal-
lis hominibus admiratio, & profectò, hunc illum esse, cu-
ius causa peregrinentur, clamant. Tùm sermone, tùm
vultu, pontificiam indolem, & rudi sub lacerna latenter
Episcopum agnoscunt. Abducunt inde secum in pro-
xima testa, & identidem roganti quid sibi vellent, cur
suam interpellarent senectam & quietem, abluunt for-
des, injiciuntq. vestem, & vesti repente congruebat no-
uus Episcopus, motu corporis & incessu, partiumq. sin-
gularum decore ac maiestate, non minus profectò, quam
si cæterorum ritu inter eius dignitatis meditamenta cō-
senuisset. Ita pastor animalium ex agricola & operario
diuino iusu creatus Desiderius, Ecclesiæ illam per ali-
quot inde annos administravit tanta ciuium utilitate ac
fructu, quantum expectari par fuerat ab illo Pontifice,

quem

quem Deus ipse, non homines elegissent. Demum irruptione Vandalorum obtruncatus Pastorale nomen auxit Martirij palma; miracula famam & authoritatem addidere, quorum illud referam haud sine pio quodam horrore. Templum ipsius nomini dicatum est ea in urbe, quam rexit, quo in templo consperitus morientis cruento libellus adseruatur. Intra fines eius templi, nemini gradum inferre licet, qui periurio diuina præcepta violauerit. Si quis eiusmodi piaculo temeratus, ingredietur, illicè malum habebit; totis repente artibus contremiscet, & periurum os clare ac manifestè omnis agnoscet, non secus atq. si fateretur ipsum indignitatem suam. Id credo simplicissimi Pontificis innocentiae & candori datum, ne fraudulentem hominem ac dolosum, & societatis humanæ violatores, intra fines consistere ac delitescere illos possint. Hunc Episcopum Ecclesia Mediolanensis, vel quia natione Ligur fuit, amplexa prouinciale decus, vel quia raro exemplo caruit, admirata virtutem, prosequitur anniversario precum officio. Nos quoq. perimus à superbis, & delicatis, ne scilicet externa hæc, quæ veluti nostra sunt, adspernentur. Mediolani Gothicæ mala consensercent, eaq. barbaries varijs conflicitata cladibus, illatas plectebat clades, & iam Italia tota respirabat, atq. resurgebant afflictæ Catholicorum res, cùm intestina pestis est reducta, quæ latenter & occulte multorum inficeret animos, neq. facile tolli posset, aut sanari. Ea Pelagij fuit secta, Stoicæ vanitatis propago, & ab illo capite ac fonte multiplices errorum riui. Pelagius acumine ingenij ac subtilitate iactus in præceps, & sicuti sunt hæreticoru monstra, conflatus è superbia, & impor-

tuni-

tunitate, & libidine, hæc credebat ipse, crediq. porrò ab alijs volebat, & vti spargeret in publicum, nitebatur ope summa. Posse facile quemlibet esse purum ac sanctum, & carere peccatis, posse relictum liberæ quemq. voluntati & arbitrio, nihil adiuuante Numine, nullas submittentē vires, diuina præcepta custodire; id virium humanarum esse, non æterni fauoris & gratiæ, & alia deinceps ad eandem formā, plena superbissimi spiritus, plena præcipitis confidentiæ. Blanditur ferme sibi genus hominum, & cùm nativo malo inclinemus ad exsoluenda fræna disciplinamq. & perniciosissima ea dulcedo titillat animos nostros; tūm verò, ubi ad internos instinetus inuitamenta, & rationes, & veluti fauor hortantium accedit, progredimur in auia, & derupta, neq. temeritatis est modus. Ita, Pelagij dicta promptis animis accipiebantur, irreps eratq. in mores hominum pessimum venenum æternæ salutis & vitæ contemptus auxiliij diuinij, & humanæ virtutis confidentia. Clarissimæ ciuitates laborabant hoc malo, & veluti scandere se quisq. suopte nisu posse cælum arbitrabatur. Nec Mediolani, propter, vel magnitudinem ciuitatis, vel lasciuiam populi, saniora consilia, meliorq. de mortalium miseria & calamitate nostræ mentis, erat persuasio; eaq. non minor erat animorum strages, quam cùm cæteræ notæ omnibus, & cuilibet formidatæ pestes grassantur. Id Marolo negotium fuit, tollere Pelagianæ temeritatis contagia, nostrisq. cœni sordes lasciuientibus ingenij exprobrare, prorsus id agere, vt ad suæ tenuitatis confessionem contumacissimi mortalium adducerentur. Altero anno, quam Marolo demandata fuerat Ecclesia, incubuerat

hæc

hæc pestis. In sequens annus rem vniuersam Ecclesiasticam auxit Imperatoria lege, quæ præcipua liberalitate ac beneficio redundauit ad nomen Ambrosianum, & manet adhuc. Ea fuit huiusmodi. Prædia iuris Ecclesiastici sunt immunia & libera, nihil inde profanus magistratus exigito. Qui sacra facient, quiue nomine sacrorum censebuntur, eos nisi ad Episcopum in ius ne vocato. Populares & laici, siue priuati, siue in magistratu, qui Deum, quiue rem Ecclesiasticam violauerint, Episcopi indicium subeunto. Eodem anno pia consuetudo recepta est Mediolanensis Ecclesiæ moribus, vt, siue lis incideret, que nullo exitu, nullo disceptatore componetur, siue criminis accerseretur, quem neq. arguerent indicia, neq. proderet ipsa confessio; tunc actor & reus, qui peteret, ac vnde peteretur, apud inclita Martirum sepultra, iure iurando rem finirent, atq. ita controuersijs poenit exsoluerentur. Non fermè habuit aliud Maroli Pontificis ætas, quod memoratu sit dignum. Par silentium, & obliuio Martinianum, & Glicerium secutos antistites inuoluit, nisi quod vtrumq. Acta conuentus Ephesini, Martinianum verò etiam sua scripta vindicauere, queis Nestorianam sectam euertit. Eius sectæ initium & finem paullò altius repetam, vt hac etiam in parte noscantur mala, quæ per multos annos affixere Mediolanensem Ecclesiam. Nestorius Germanus origine, lingua promptus, ingenio turbulentus atq. temerarius fuit. Diu priuatus, egens, postremò loquentia fama adeptus præficitur Ecclesiæ Constantinopolitanæ. Vbi prauus animus tumultandi locum inuenit, nihil pensi habere, dummodo misceret atq. perturbaret omnia.

nia . Sed principio curam præferre , qua cura purgatius
rus Ecclesiam , & populares ad perfectum emendaturus
esset. Hoc specioso titulo tecta leuitas & insania populo
Constantinopolitano pñè exitium attulit , discordijs
excitatis , quæ facilè ad incendia & cædes eruperunt .
Non tamen error ciuitati diuturnus fuit . Retegendi
auctoris initium inde est factum , vnde & pestiferi dog-
matis origo . Ea sic habuit . Anastasius Constantino-
poli præsbiter erat quidam , pari dicacitate , animo etiā
turbidiore , quem eò furoris adegerant scelera . vt cum
sanctissima Dei Matre quasi gereret inimicitias , eq. sum
mum honorem , & Deiparæ nomen augustissimum abro-
gare conaretur . Fortè hic aliquando frequenti concio-
ne , cùm suæ virus impietatis effudisset , tanta indigna-
tio , tantusq. stomachus omnium est consecutus , vt vul-
gò inde abirent frementes ira , quidam etiam indignita-
te vehementius commoti , sacrilego concionatori minas
atq. manus intentarent . Hoc excitus tumultu Nesto-
rius (& erat magna inter ipsos necessitudo , vt ferme fit
malum malo aptum) adcurrit , periculo imminenti ami-
cum hominem erepturus . Pontificis interuentu mitiga-
ta nonnihil concio , quid ille differeret errori cōfutando
atq. temperandis animis exspectabat . Is contra statim
orditur , de obsequio violato , & religione contempta , &
Euangelici præconis discrimine . Mox , vt flexos ad mo-
destiam , & placide , quæ dicerentur accipientes vident , ob-
scuris ambagibus primò , deinde verbis disertis institit
eidem firmandæ sententiæ . Ita , quod prauo animo du-
dum coquebat , in illo conuentu palam & aperte est pro-
fessus . Summa hæc erat . Christum , cùm nasceretur , mi-
nime

nime Deum fuisse, contigisse postea diuinitatem ei , propter eximia merita , præstantissimasq. virtutes . Id quando ita esset , quando purum illud , & ab omni contagione segregatum humanis immisceri natalibus haud potuerit , cur igitur Anastasio , vero , & pio , & vindici diuinitatis obturbarent ? Seruabant Constantinopolitani fidem inuiolatam in eam diem , neq. post acceptum , Euangelium vlla gens incorruptior fuerat . Itaq. postquam furiosæ illæ voces ad aures acciderunt , stupidum primò silentium aliquandiu tenuere , mox quasi rati sepe pollutos atq. contaminatos cum probris , & sibilis , & infesto clamore , pastorem insidiosum explodunt , nec deinde ferre hominis adspectum potuere . Quacunq. incedit , fugitant , exetrantur ; egregium Episcopum , qui praua doctrina ciues inficiat , præclatum doctorem , qui rudimenta Christianæ religionis ignoret . Hunc igitur illum esse , qui specie nuper opertus paterna , animo intus hostili , cultum Ecclesiae , populi salutem interpellavit . Profectò , nisi fas sit , seras quidem illas , debitas tamen impietati poenas exspectare , de medio tollendum esse caput irreligiosum , & quibus artibus ipse petat animos , ijsdem vitam ipsius appetendam . At ille , quasi prior successissent , vertit ad magis adhuc præcipitia , & uniuersum in orbem spargere venenum parat . Nam desperatio turbulentis hominibus incitamentum est , & nudata scelera violentius erumpunt . Vecordes in eandem sententiam componit libros , ijsq; miro artificio , & calliditate vulgatis , leuissimi cuiusq. sensibus obrepit author opinionis nouæ infensus augustissimo mysterio , populator inueteratæ fidei . Ita multi mortales in fraudē

Ecc in-

inducti, & cùm alijs eadem alijs traderent, breui tempore plurima terrarum impurum dogma peruersit. Non Germanicæ, non Gallicæ vrbes, non Italia domina gentium eius mali immunes fuere. Mediolani præcipue, propter varietatem ingeniorum, rerumq. colluuiem latè accepta pestis. Theodosius iam alter apud Orientem imperrabat, religionis integer atq. seuerus animi. Huic iam inde ab initio consilium fuerat, Nestorium abdicare Pōtificatu, & procul in desertam aliquam insulam amandare, vt ibi ventis & vndis cantilenam illam suam occineret. Sed cunctabatur ob sacri capitis reuerentiam, & simul, quia populari illo tumultu ac reclamatione satis in perpetuum compressos fuisse conatus importunos crediderat. Vbi gliscere licentiam videt, parat remedia, queis coerceret. Non tamen ea per iram aut per sœua consilia; sed vti tantum obuiam ire malis, & moderari sapientia rem totam videretur. Moniti Pontifices, vti publice grassantem Nestorium publice confutarent; sibi neq. vires, neq. animum defuisse comprimendæ temeritati ac furori; sed malle publico consilio, quām potestate sua, & ipsos, quibus Deus mentem peritam diuini iuris dedisset, melius vtiq. re communicata iudicaturos. Patres Ephesum conuenere, ibiq. Nestorium, primò contumacem & obstinatum, mox vt damnatio ingruebat, adsimulata pœnitentia trepidum, & dicta retractantem deiecere Pontificatu. Deiectus Oasin exulatum abiit, vbi postea noxæ simul & pœnæ magnum exemplum etatis exactæ reliquias consumpsit. Sed non cum ipso flamma, quam excitarat, potuit in hiberi, quia simplissimi homines, quæ se mel pestifera & damnosa conceperint,

cepissent, tamquam salutaria & recta souebant. Martinianus igitur dogma Nestorianum acri & vehementi scripto confutauit, cumq. librum Theodosio principi destinatum transmisit ad ipsos Ephesini Concilij patres, quos fama est, Mediolanensis Archiepiscopi doctrina & ingenio magnopere delectatos fuisse. Sed graue mendum irrepsit in Ambrosiana monumenta litterasq. Nam cum septennio fermè ante quam scriptum illud euulgaretur, decessisse Honorium constet; sic habent ex literæ, scripsisse Martinianum ad Augustos Honorium & Theodosium de Nestorij mendacijs & vanitate, prauaq. doctrina. Illud quoq. tralatitiū est ac mendosum, quod eadem Ambrosiana monumēta tradunt de litteris, quas Martinianus idem ad Ephesini Concilij patres cum misisset, hanc inde laudem tulerit, ut sanctissimus Deoq. carissimus appellaretur. Quippe sunt ea verba rebellium quorumdam Episcoporum, qui Conuentus Ephesini decreta coaspernantes proprioq. conciliabulo ad ea labe factanda congregati, cum alia multa fecere fraudulenter ac dolose, tum hanc sparsere famam & aluere, tamquam Italici generis Antistites ab sua parte starent, illos alteros auersarentur. Id vtiq. volentes increbescere, vulgauere suas litteras, queis grauissimum quemq. Pontificum Italorum ceu fautorem & gregalem suum appellarent. Ac alios quidem alio verborum honore per eam artem commentumq. sunt prosecuti, Martino Mediolanensi (id enim nomen accepere pro Martiniano) illa ipsa, quæ retulimus, verba circumdēdere. Tertium deniq. mendum circa Pontificis huius ætatem ex quotidiani officij narratiuncula oportebit auferri.

Ecc 2 Nam

Nam ea treis tantùm Pontificatus ad signat annos , cum
in nonum vsq . debuerit peruenire , siquidem is Ephesini
Concilij pars fuit . Decessit ad jv . Non . Ian . iacent ossa
in Basilica Diui Stephani . Sequitur eum fama , tamquam
fuerit eximia oris dignitate ac pudore quodam virginali . Id ego ab alijs traditum omittere non debui , cùm
aliòqui nulla effigies ipsius extet , & mortalium lineamé-
ta , vultusq . sermone tantùm ac traditione custodiri , &
in sæcula , prout fuerunt , venire , vix quisquam credat .
Par maiestas oris , Glicerio Landriano prohibetur . Is
Martiniano successit , anno quadringétesimo trigesimo
altero , & in octauum annum Pontificatum extendit , sua
clarior virtute , quam Ecclesiæ rebus . Paterna bona di-
uisit in pauperes , floruit ingenij gloria , candidissimos
obtinuit mores ; & vulgò Angelum appellabant . Quòd
verò interfuerit Ephesino conuentui , id ita est accipien-
dum , vt Martiniani legatus ierit , cui quidem legatione
Philippi cuiasdam litteræ fidem adstruunt . Nam ille
cùm de Concilij totius euentu scriberet ad Pontificem
maximum , sic retulit . Italici nominis Episcopi , aut
ad fuere ipse , aut pro se legatos misere . Quis porrò
credat , aut , cùm cæteri mitterent , Mediolanensem non
misisse ; aut si mittere vellet , potiorem Glicerio quem-
quam habuisse , qui nimirum , & fuerat in ipsius disciplina ,
& rerum gerendarum adiumentis excellebat ? Alij con-
ferunt eum in Bonifacij Summi Pontificis tempora , nec
parua , nec obscura temporum perturbatione .
Nam Bonifacius aliquanto antea decessit , quam Gli-
cerius Ecclesiæ rebus admoueretur . Iam barbaro-
rum reliquiae , sicuti narrare institueram , aliquem
respi-

respirandi locum Italæ rebus dabant, amissō duce dein
mutato, viribus accisis, & latronum potius more gra-
fantes, quām iusti more belli. Manebat tamen illa per
vrbes feritas atq. barbaria, quam ferociissima gens com-
mercio, & consuetudine tot annorum inferre potuisset.
In ea rerum perturbatione, & colluuie, populo Medio-
lanensi Lazarus indigena Pastor est datus. Id munus
semper fere aliâs à magnis viris, ob rerum, & Ecclesiæ
magnitudinem appeti solitū, nunc prudentissimus quisq.
defugiebat, quia nullus actioni locus, & efferati ciuium
mores omnem gubernandi rationem eximebant. Neq.
Lazaro tardior quām cæteris animus ad negotia pon-
deranda suis momentis; sed in communī metu solicitu-
do maior, & quamuis, aut inter turbas & dissidia lan-
guescendum foret, aut dissidijs atq. turbis oppetendum;
ciuium cura tamen, & salus erat in oculis. Itaq. voca-
tus capessuit Ecclesiam alacriter, euentū meliore quām
sperarat. Primum noui Pontificatus opus fuere suppli-
cationes quæ quotannis ad præcipua Vrbis templa per
tridū habentur. Eius cæremoniæ primordia, totamq.
descriptionem, & apparatum operæ pretium arbitror
cognoscere. Namq. res eiusmodi est, quæ ab obscuris
initijs, tantam ad celebritatem peruererit, ut publicam
pacem, priuata commoda, vrbes, agros, totius deniq.
regimen humani generis ea contineat atq. sustentet.
Origò igitur, & exordia sese in hunc modum habuere,
Vienna est vrbis ad Danubium Germaniæ totius clarissi-
ma, & Christianæ religionis cultu inter primas orbis uni-
uersi. Ea vrbis paullò ante Gothorū aduentū, incursu fe-
rarū, & omni Dæmonū ludibrio miserè fuerat infestata.

Siqui-

Siquidem fremitus exaudiri, turbari domus, obsideri corpora, verbera quoq. passim infligi, & cadere aliquis quotidie manifestis iactibus, abscondito ac latente percussore. Non in mensa dapes, non instrumenta domestica, non alia res vlla tuta erat ab infesta ludificatione, cùm & loculos nummis, & dolia vino penetrantes omnia Fau-niper lasciuiam exhaustirent. Neq. verò stupris abstinebat gemebunda illa, & cruciatibus æternis cincta & comitata lemurum libido, satisq; constabat, lectissimas adolescentularum, dum aut in sinu matris exercerentur acu, aut puellariter securæ per ædes oberrarent, incorporea vi repente correptas, atq. sublatas in laquearia. Ita, plena ciuitas laruarum hærebat mœsta ac trepidæ, rogitantesq. alij alios, quid sibi futurum esset, ambigebant. Non aquæ lustralis adspergine non sacris carminibus & exorcismis, non pia corporum afflictione exitiū auertebatur. Tunc Mamercus Episcopus genti, postquam cætera frustra erant, statuit, vt ad præcipuz religionis templo triduo supplicatum irent; eo spatio, rigorem, inediā, & reliqua placamina cælestis iræ publicè omneis continuarent. Id verò vbi est factum, euauuit feralis ac tetra cohors, & afflictæ Ciuitati deinde pax fuit. Igitur Lazarus, cùm ciuitatem vniuersam vitiorum laborare monstris, omniq. fœditate ac turbulentia similem esse dæmonum coetui, & insessos propè furijs ac diris mortaliū animos vidisset, in re dissimili pari consilio est vsus, & hanc propitiandi Dei formulam præscripsit, quam Græco nomine litaniā appellamus. Scilicet, posse paucorum precibus imploratum numen mouere vim suam ad sanandas omnium mentes, ac diuinæ benigni-

nigritatis misericordia & occulto instinctu redigi Mediolanensem populum in antiqua instituta disciplināq. Clerici circa ædes iere, manetq. salutaris ritus in hunc diem. Sed eius quoq. rationem & ordinem agminisque sacri positiones & incessus, prout ab ipso Lazaro descripta fuerunt, expediam; non quia sit ea res in obscuro, & quasi caritura memoria nisi nostris litteris illustretur: Sed quia hoc etiam arbitror esse scriptoris rerum traditore quamuis noua & vulgata, persequi publicas cæremoniæ & ritus, idq. summi factitauere. Hebdomada, quæ redditi cælo Christi triumphum sequitur, huic supplicationum celebritati, fixa est, & destinata. Illud, credo, maxime opportunum esse tempus placandi Numinis credidere, cum scilicet absoluto Redemptionis humana mysterio, recentis beneficij recordatione mortalitas ad studium pietatis accenderetur; supera & eterna Redemptoris ipsius aduentu noua iocunditate gestirent. Primus dies in hunc modum agitur. Summo mane Tempulum maximum candido super atram vestem amictu Clerus intrat; simul congregatur eodem sexus vtriusq; multitudo. Procedit in suam sedem Archiepiscopus mitratus insula, non illa distincta gemmis & auro, sed quam simplicissimo textu, quisit ad totius cæremoniæ submissionem ac mœrorem accommodatus. Palla in id ipsum atri coloris adhibetur. Cingunt latera Pontificis Archipresbyter, Archidiaconus, & Diaconus, prior ille cum atra item palla, horum vterq. cum exomide. Postquam in hunc modum ad sedere suis locis, orditur Archiepiscopus carmina & preces, queis consecratur ac lustratur cineris copia, quem cinere ex oleo ramalibus

ac

ac fronde iam inde ab sacro palmarum die in hoc ipsum
adseruant quibus ea est cura. Post adhibitas ei cineri
præces, quas partim uno tenore peragit Episcopus, par-
tim cum Episcopo Chorus alternat, depromptam ex a-
cerra thuris partem injicit thuribulo; dein cinerem Ar-
chidiaconus adolet. Hæc cineris est consecratio. Mox
è Canonicorum ordine, qui summum in templo maximo
publicæ pœnitentiæ tribunal tenet, indeq. Pœnitentia-
rius dicitur, atratus palla, modico cineris puluere con-
spexit ipsi caput Archiepiscopo, spargendo nihil effatur,
crucis ea conspersione formam effingit. Ita lustratus, &
sux mortalitatis, cœniq. sui commonefactus Antistes,
lustrat inde cæteros, ac eodem in clerum vniuersumq.
populum officio defungitur singulatim. Canonici templi
maximi primi omnium accedunt bini, reliqua Clericorū
multitudo subsequitur, postremo populus ipse. Ponti-
fex injiciendo puluere concepta verborum formula iubet
vnumquemq. meminisse, quemadmodum ex cinere co-
agmentatus, resolui pristinum in cinerem debeat, & illi
fore se memores respondent. Ab hac cæremonia my-
sterioq. consternati omnes ac mœsti præces instaurant,
& singula deinde verba, singulæ voces ac notæ spirant ita,
ut mortis imago, tristissimaq. facies humanarum cala-
mitatum omnibus ante oculos obueretur. Petitum ex
Prophetæ querulis vaticinijs lamentabile responsū præit
Archidiaconus, quo responso, diuinæ benignitatis no-
mine vocantur mortales ad ieunia fletusq; ne videlicet
moriantur, sed ut pœniteat scelerum, & viuant. Obte-
stationis huiuscæ carmen, destinato procedentes itinere
sacrifici minores elatis in spatia certa vocibus alternant
donec

donec ad primam Nouocomensi regione stationem peruenere. Ibi consistit agmen, ac diducto in suas partes & latera clero, voce Pontifex elata Mæstorum refugium Deum implorat, exsequiturq. cætera precationis eius ple na lacrimarum & poenitentiæ; iterat eadem ab dextro latera Præfectus ordinum, postrem præfus Ambrosianæ Basilicæ, vel eo absente quispiam alias ex præcipuæ dignationis Collegio. Ter in hunc modum exorato Numine, trini rursus inferiores ordines Græca ter voce Dei misericordiam & pacem exposunt. Maceconici (id nomen est classis) ordiuntur, Seniores excipiunt, repetunt Lectores, curua cohors iterum pronunciat, atq. ita bis senæ peregrinæ formulæ vices constant. Vadit inde agmen in Basilicam Simpliciani, & donec ad illius Basilicæ gradus pompa peruererit, Lectores & Maceconici, clerusq. reliquus alternatim responsum aliud occidunt, quo precantur Deum, illum miraculorum authorem, vindicem illum Israelitici nominis, illum deniq. generis humani liberatorem, ut ignoscere sceleratis & impijs, & iniquis velit. Vbi ventum est ad ipsius Basilicæ gradus, idem illi chori auerso in Simplicianum cantu, sanctum, & magnum, & beatum venerantur, & flebiliturbæ Aduocatum querunt. Ita Basilicæ gradus infertur. Postquam iniere, discriminat sese Clerus ordine dupli, atq. hinc inde consistentes, breuem agut moram, donec Maceconici, senes, & lectores, diuinâ iterū Græco sono duodecies misericordiam poposcere. Procedunt inde ad aram maximam, atq. ibi nomenclatura Sanctorum canitur hoc ordine. Ad dexterum aræ cornu delectiflexis genibus elata voce nomina cœlitum cœntum Cano-

Fff nici,

nici, tūm Parochi; reliqua multitudo succinit, vt pro nobis intercedant. Hoc ritu sanctorū opem exposcunt, quocunq. in templo deinceps constitēre. Pontifex absolute litanie, separatim precatur à Deo puram integrumq. mentem ad sacra tractanda pie ac pure. Tūm ex diuinorum vatum litteris, tūm ex Euangelica narratione periochæ recitantur; & claudunt stationis huiusce cæremoniam trini chori cum ea scilicet preicatione, ne flagitijs temeratos ita plectat Deus, vt abire in opprobrium sinat. Hæc in digressu canuntur, hæc repetito mox itinere, donec ad Diui Carpophori valvas peruenere. Tunc in sanctos auersi, quorum reliquias & ossa illa ædes tuetur, vocant eos in diuinæ gloriæ partem, & supremæ virtutis ac potentiae præcones obtestantur. In ea Æde, ac deinceps ad cætera templæ, in triuijs, in sa-cellis, vbi vetustæ religionis sedes vbi trophyæ crucis, vbi statuta in tempus ara, stationalis litanie ius præfert, sua sacra, suasq. preces, quo descriptæ sunt ordine ac ritu, certi chori certiq. separatim ordines peragunt. Variat suum quisq. dies iter, diuersaq. via stationes in diuersas tenditur, ac fermè cingitur vrbs tota supplicationibus huiusmodi. Has preces, & hæc templæ, positionesq. Lazarus in hunc modum descripit Clero populoq. Mediolanensi, & formulam vniuersam in multa transcriptam exemplaria, vt quamplurimis in promptu es-set, per collegia & ordines, vicatim quoq. & regionatim diuidendam curauit. Postea Stephanus Nardinus Archiepiscopus impressum typis codicem, cum iam propè litterarum formæ cederent vetustati, atq. rarus admodum extaret, redonauit pietati & æuo, qualem nunc habe-

habemus. Simul ille supplicationum ipsarum consuetudinem exolescentem restituit, quæ nostra rursus ætate, cùm minus iam & minus celebraretur, atq. rerum omnium ritu vanesceret, ab Antistite sanctissimo Carolo Borromæo miris modis est firmata & nobilitata, sic prorsus, ut mansura æternum videatur. Quippe spectatus est raro ante ipsum exemplo magnus Pontifex dicens popularium suorum agmina, squalidaq. maiestate, & ieuno, sicuti semper ore, & miserabilem ad sonū inflexa voce diuinam exposcens opem, & veluti alienatus à corporis societate. Tunc ille de superiore loco diuinashabuit conciones, humana scelera, diuinam clementiam, & audiam exitij sui mortalitatem, & vicinum finem omnium rerum, & alia, queis popularium emendaret animos, exaggerauit. Tunc etiam effusa sua liberalitate subsidia vitæ sparsit in multitudinem egenam; tunc precepit rigore saeuissime loris in se ipsum, corpus afflictasse duriore cilicio, & horridum humili posuisse stratum dicitur. Hæc in singulos annos recurrens Pontifici triduanæ supplicationis cura cùm fama & admiratione celebrantur, veluti sanxisse consuetudinem, & ritum est visa haud minus omnino, quam super ea refacta decreta & leges. Supplicationum originem à Mamerco Viennensi inchoatam, ab Mediolanensi Lazaro receptam, ab Nardino & Borromæo nobilitatam & restitutam in hunc modum retuli. Cæterum haqd sum nescius, dissentire quosdam & initia consuetudinis huius in ipsum Lazarum referre. Sed ego famam eam sequor, quam & plures amplectuntur. Lazarus Lazari Boccardi filius fuit e nobilitate Mediolanensi. Produxerat eum in Ecclesiæ lucem Glicerius

Fff 2 Landria-

Landrianus , & magni honoris vocabulo templi Maximi Primicerium appellarat . Augustinianæ familie , quæ profecta Mediolanum vagabatur absque certa sede ac domicilio Monasterium attribuit , quæ nunc Virginis coronatae vetustissima stat ædes . Eidibus Aprili orbam suo decessu Mediolanensem Ecclesiam reliquit , anno , quem vitæ sexagesimum , pastoralis vigiliæ undecimum agebat . Variant hos numeros alij , vitæ quidem spatia longius producentes , contrahentes verò Pontificatus æuum . Sed mihi , scriptorum vetustissimis , Datij super ea re testimonium afferentibus temere non fuit abroganda fides . Fuit Lazarus non modò cæmoniarum instaurator ; sed magister quoque seuerioris disciplinæ , & ordinis illius Augustiniani conditor propè alter . Cœperat is ordo labare , paulatimque remitti Sanctissima Patris instituta , & proprius erat , vt fratres quotidie aliquid traherent ex populari luxu , quām vt ipsi popularibus quicquam salutare aut frugiferum impertirent . Igitur nascenti malo obuiam iuit vti dictum est , ac primùm quidem ædem illam attribuit , quam psalmodia cæteroque cultu frequentarent , deinde domicilium constituit , vt non dispersi & vagi , sed in unam congregati sedem agerent . Eusebius Lazaro mortuo fit Episcopus , nostras patria , Paganus gente , Diaconus ordine , neque vita solum probatus & doctrina , sed etiam miraculo , cuius fama , & prædicatione supra mortalitatem habebatur . Id miraculum , sese in hunc modum habuit . Res diuina , quando solenniore fit ritu , ministri duo , suo more trabeat ,

ti,

ti, latera sacrificantis cingunt. Diaconum & Subdiaconum vocant, augusta nomina, & proxima Sacerdotio. Sed tractat sanctiora Diaconus, altero subseruiente, quo plus maiestatis habeat cæremonia. Diaconi munere, sicuti demonstrauimus tunc Eusebius fungebatur, cuius inter cetera, illud quoque est, acceptum à Subdiacono calicem offerte Sacerdoti mox videlicet libandum ore puro, & conceptis verbis diuino latice consecrandum. Calix erat è cristallo subtili perfectus arte donum opulentissimi, nec ullius ea tempestate pretiosior indicatura. Eum calicem Eusebius, cum de more porrigeret sacrifico, aberrauit forte manus, & repente delapsus in terram, in minuta fragmenta dissipatus inspectante populo. Confuderat ea res Diaconi animum verecundiam simul & dolore; sed eodem pænè temporis momento spes intravit. Mente subductus in cælum, potenter illam dominatricemque rerum omnium implorat vim. Nondum precationem absolverat, cum dispersa fragmina suam in sedem coaluere, stetitque calix in ara pristino artificio, specie etiam pulchior, quod credere licet æstimenti res diuinæ. Neque tamen ignoramus, fore, quorum in ea re laboret fides; sed nobis è vano nihil hauritur. Lazaro mortuo, nec dum Eusebio suffecto, breue fuerat inter Pontificium, quo spatio pessimi homines foedam Ecclesiæ vastitatem intulerant. Neque aliam eius inter pontificij causam tradit annalium memoria, nisi quod corruptis in barbarum moribus, & depravato urbis statu, mallet aptissimus quisq.

quisq. muneri priuatis officijs ac velut ex occulto rēm Ecclesiasticam administrare , quām in Pontificali sede præbere ad ludibrium & contumeliam os. An verò fecerant bella finem studijs ciuilibus , & imminuta iam togatorū sobole , nemo , cuius humeris aptè federet onus eminebat ? Mox pulso penitus ac dissipato Gothorum genere , atq. pristinos in mores paulatim redeunte ciuitate , vltro etiam competitores extiterunt . Sed Leo [is tunc Pontifex maximus erat , primus hoc nomine] non potenter Eusebium antetulit . Diruta reficeret , vel expiare temerata prima curarum eius fuit . Basilica Ambrosiana contaminata fuerat indignis modis , & fœdata ! Igitur , quō maior fuerat , & Basilicæ dignitas , & militaris ac barbarica licentia , eō quæsitiora piacula , & cæremoniæ maiores extitere . Quasi condita deintegro , & à fundamentis excitata , tunc primū aperiretur Ædes , ita solenni pompa summoq. paratu Antistes eam dedicauit . Dedicationis eius diem Id.oct. populo festum ac sanctum esse iussit . Et religio quidem templorum huiusmodi cæremonijs instaurata est ; perditī & malè sani adhuc Clericorum mores , & lapsa disciplina , Christianæq. fidei lumen contagione barbarorum offusum , acrioribus remedijs indigebat . Locus postulare videtur , vt quæ tunc Ecclesiæ facies , quæ vita nostrorum hominū haberetur , paullò fusius ex sequamur . Eam rem bonis iuxta & improbis , vtilem atq. fructuosam arbitror fore . Agnoscent alij sua probra & dedecora ; delectabit alios ex comparatione præsens forma rerum . Sic forsitan illis ex aspectu fœdo terror & initium pænitentiæ ; his virtutis amor , & propositi tenax constantia . Iam pri-

mūm

mùm omnium illud constat , quales animorum habitus essent barbaris , talia studia moresq. Mediolanensem in populum inuestos fuisse . Nulla religio, nulla fides, nihil sinceri, vel sancti, nullus Dei metus inter truces ac efferratos . Etiam ea , quæ gentium vltimas ac deterrimas , aliquo tenent vinculo , connubium & proles , deserta & neglecta primò , deinde promiscua & incerta . Velut in aliena vrbe raptiores & sacrilegi , velut in sua immunes , & impuniti . Porrò strages illa sacrarum ædium , de qua memorauimus , ruinam secum diuinè cultus trahebat . Non mysteria , quæ sunt propitiando Numinis , animisue curandis , non psallendi consuetudo , non rituum , & cæremoniarum disciplina superstes erat . Ipsum , vt verbo expediam obliuioni tradiderant Deum , neq. deseruerentes ab Italo , & Christiano Gothum & barbarum , nisi quòd , nostris , maior in omne scelus audacia , & veluti peccandi certamen inerat ; alteris nativa quodammodo & fessa torpebat improbitas & libido . Et ita nimis ferè cuenit , vt è vinculis emissa fera maiore feratur impetu , atq. sœuiat atrocius , quam quibus euagatio libera , & inueterata ferociam imminuit ; sic nostri barbaris erant nequiores . Rursum Clericorum licentia magis , adhuc effrænis , vt , quantum recenteis fessis anteibant in scelere acturitudine , tantum sacri popularibus anteirent . Votium , & obligatum castimoniæ corporis habitum , vulgari & promiscua ueste mutauerant ; simul impudicos assumpferant spiritus , nec ex Ecclesiastica puritate quicquam retinebant . Domi alebant mulierculas , neq. horror aliquibus vltima barbarieꝝ libidinis experiri . Possem memorare , quæ flagita , quibus locis

per

per huiusmodi homines patrata vetustissimi scriptores procedere, nisi ea res, tamquam mihi legentibusq. violatura oculos animumq. scribendi tedium adferret. Igitur in magna rerum hominumq. colluione, secutum extremum malorum est, deprauatio recte in Deum fidei, & prauus de tota Diuinitate sensus. Neq. solito tantum humanis ingenij more erant a menteis & irreligiosi, sed addiderant impietati formam & ordinem, tamquam pro vero & recto niterentur. Summa erat eadem ferè, quæ Nestorianæ prauitatis de dupli natura Christi, quam, & in vnam Hipostasin coaluisse negabant, & alijs præterea probris insestabantur. Nestorium secutus Euthyches abolitam paullo antea sectam renouauerat suæ dendimirus, neq. facilis refelli. Quia non fermè plus alibi turbarum & malorum, exciuit ea secta quam Mediolani, & quoniam ei conuellendæ ac excindendæ tūm Eusebius ipse, tūm alij nominis Ambrosiani, sapientia & autoritate principes adlaborauerunt; ideo faciendum putamus, vt eius initia finemq. sectæ, quibus actionibus, concilijs, euentis miraculis, constrata sit, ac deleta niscenteis aliena nostris explicemus. Euthyches Constantinopoli Monachorum familiæ Præfectus conuellendi Nestorij præcipiuus author fuerat, neque penes alium magis fuerat actionis eius gloria decusue. Is homo, siue superbia elatus, quod sua profligasset autoritate & doctrina tantum illud Ecclesiæ Catholice malū, siue natura & ingenio audius honoris, & rerum aliarum, quarum illecebris & cupine tentatur eorum animi queis placita primò claustra postremò displicant; postquam minora esse præmia, quam tantæ rei meritum fuerat, ipse secum

secum reputauit: prava rectis, turbida quietis antehabuit, & quæ salutariter damnauerat, restituere ac reuocare per amentiam, & furorem conatur. Itaq. dogma Nestorianum alijs insuper auctum erroribus ac mendacijs, non intra priuatos modo parietes, & septa Monasterij, sed tota passim vrbe Byzantio, inde porrò gradum in vleriora facturus, dissipat ac spargit. Eusebius quidam erat Episcopus Basileę Catholicę veritatis ea tempestate propugnator acerrimus, & haud minore constantia & robore, pro vero & recto, quam alter ille in absurdā, & falsa impotens & præfractus foret. Is cognito, & audito, quod Euthyches mala repete mutatus ambitione suscepisset, quæ verba daret in vulgus, & quam graue periculum ab illius hominis insanía Catholicis immineret rebus; haud distulit, quin monere & castigare clementer ipsum aggrederetur. Sed primo, alteroq. ac etiam tertio congressu reiectus & spretus, tanquam adferret ipse inania, & fabulosa, descendit ad remedium extremum, & Constantinopolitano Patriarchæ (Flauianus erat) quid molliatur Euthyches, exponit, addita graui cohortatione nascentem vtiflammam, & in publicam perniciem itura mendacia, minis aut pœnis mature coiceret. Inciderat per id forte tempus, vt Constantinopoli Prouinciale Concilium haberetur, opportuna res Euthycheti accerfendo & interrogando. Ita Patres hominem in iudicium vocant. Ille, primò contumax abnuebat quicquam in se juris esse Concilio, & audacissime recusabat ire; tandem ubi sepius instabant, crebriq. viatores mittebantur, processit latera cinctus armatis, & ore superbissimo, quid se vellent, interrogauit. Indigna res omnibus visa; nec

Ḡ ḡ ḡ mora,

mora, quin deuotus diris & execratione cælesti dei sceretur simul eo dignitatis gradu, quem obtinebat. Scribit inde Fabianus ad Pontificem maximum de tota re sicut gesta esset, recordiam Euthychetis, Concilij necessitatem extremam demonstrat. Euthyches ipse quoq. pro se ipso litteras ad eundem audet. Rescribit ad utrosq. Leo sapientia & lenitate, que propria Pontificis illius fuit, extantq. litteræ. Chrisaphius erat ex Imperatoris aula Catholicis infensus, & pro pessimo illo Euthychete precepis in omnia, queis renascentem foueret sectam; gratiam suam omnem, omneis opes, & diuturnæ cum Principe familiaritatis obsequia pretiumq. seruitutis illuc intendebat. Cum eo Chrisaphio agit Euthyches, uti Principi Theodosio cogendi pro se Concilij sit author, & ut ei Concilio Theodosius quidam Episcopus Cæsareæ, preses & moderator imponatur, atq. diuersis è terris certi nominatim Episcopi sectæ fautores euocentur. Id facilè impetratu m, & siue non intelligeret latentes dolos Cæsar, siue gnarus esset, ac faueret Euthycheti; exoratus ab ipso Pontifex maximus, & antistitem Concilij Theodosium Episcopum declarauit, & alia, quæ peterentur, concessit, seuere tamen præcipiens uti dogma vœsanum eiuraret Euthyches, atq. totam de Christi diuinitate & humilitate sententiam, quid credi sanctum fasue esset, quid rectæ fidei aduersaretur, exponens. Is conuentus Ephesum indictus, & patres vndiq. congregabantur tum recte sentientes, & incorrupti, tum perditæ & scelerati. Non latebat Fabianum quanta sub nomine Concilij ruina catholicæ religionis pararetur ac strueretur, neq. Conciliū illud, sed conuenticulum, & quandam hæreticæ prauitatis

tatis conſpirationem fore. Sed extrema neceſſitas iſtabat, monitusq. Pontifex de to fraude ac iniuitate, iubebat vtiq. celebrari concilium, & ſubiri fortibus Catholicorum animis, quicquid illud improbi certaminis immineret. Eae ſcilicet alterae literae fuerant allatae, ſtatiq. deſtinata in ſedem Ephesum itur ab æquis & iniquis. Centum triginta duo pari dignitate, diſcordes animis conuenere, nec Theodosius, vti petitum fuerat, ſed capitalior alter Diſcorus, ſedit arbiter, princepsq. Concilio. Qualem rerum exitum præuiderant viri ſapienteis, talis eſt conſecutus, aliaq. porrò turbulentiora & infenſiora ſucceſſere, quam opinari quisquam potuiffet. Benigne reus Euthyches auditus, Eusebius accuſator ſpretus ac reiectus, aures clauſæ Pontificijs litteris, dannatus Flauianus cum cætera Catholicorum cohorte, illi alteri, fani, & optimi, & veritatis auſtores appellati. Hæc ipſa veluti facta clementius eſſent quam pro animorum rabie ac furore, ingressi conclave turbulentum atq. sacrilegum armati gladios intentauere Catholicis, & niſi ſententiam ſua firmarent authoritate, vim extrema interminabantur. Valuit apud quosdam exitij preſentis horror, intrepidi alij, & conſtantes abnuerunt. His irrogatum exſulium, abrogatae dignitates, alijq. ſuffecti in ipsorum loca & Eccleſias ab Diſcoro. Epontificijs legatis Hilarius fuga ſalutem petiit, relequi duo prope in vinculis detenti; Flauianus ipſe verberatus ad necem poſt aliquot inde dies expirauit. Ephesini Concilij pro Euthychete habiti exitus hic fuit. At Leo dolo- re anxius, infenſus ira, miſericordia in rebelles, in poſterum metu, ne fauore principis gliferet porrò malum,

Ggg 2 atq.

atq. inualeceret ita, vt remedia sera & inualida forent, inter alia tentamenta reprimendæ pesti, Romæ concilium habuit, quo damnatis Ephesini decretis, restituebat in suam vnumquemq. sedem, & impurum illum Euthychetem, cum sua manu deuouebat orco. Verùm Diocorus eò processit adhuc furoris & insanæ, ipsum vt Pontificem maximum, & vicariam illam Numinis maiestatem, quæ arbitra rerum est, & vni subiecta Deo, se diceret arcere sacris & Ecclesiæ communione. Adeò deiecta mens è potestate neq. quid diceret, nequè quid faceret, pensi quicquam habebat. Pulcheria Theodosij soror erat femina spiritus diuini, contra omnia tentamenta & petitiones amplexa virginale decus, præsidium Ecclesiastice rei, & eadē perita regnandi artū, queis, & Theodosium fratrem, & imperij vniuersi statum prospere aliquandiu ac feliciter, & summa cum omnium approbatione fuerat moderata. Verùm ubi corruptus ab Eudoxia coniuge consiliarijsq. Theodosius abierat in præceps, & salutaribus monitis nullus iam in perdita domo reliquis erat locus, plena doloris ac mœstitiæ secesserat in auia loca, & opportuna meditationi. Ibi virgo cælestem agebat vitam, & paternæ domus excidium ex longquo miserabatur potius, quam uti coram spectaret. Portenta conuentus Ephesini quietem & secessum interpellauere. Repetit aulam, & ingressa non sine magno perditorum hominum motu ac trepidatione, quoniam processerit, quid patiatur interrogat fratrem. Ille causatus errorem & importunitatem, & imperij necessitates, aliaq. sorori leniendæ ac placandæ, statim erat in potestate, statimq. rescinder aecta, delere sectam, placare

Ponti-

Pontificem maximum auebat. Hæretici quoq. Virginis animam exhorruere, & subeunte mentes pœnitentia, fæse in obsequia promptos offerebant. Tunc Leo componendis inspiciendisq. rebus, & accipiēdis in fidem Episcopis, graues viros in Orientem, ad Pulcheriam atquè Theodosium legat. His fuere, Abundius, Asterius, Basilius, & Senator, magna nomina, &, aut iam inter Ecclesiæ Principes, aut mox futuri. Senator adhuc intra priuatum modum agebat, Ciuitate Mediolanensis, septalius gente; & iam inde à primis annis, instinctu leni ac placi-do, sacra & sacros affectatus. Fecerat sapientiæ fama, promptum ingenium, & apta illa regum ingenij lenitas ac mansuetudo, simul peritia consuetudinis aulicæ, tribus Episcopis, quartus ut priuatus adiungeretur. Atq. veluti rudimentum hoc fuit illius virtutis & sanctimonie, qua postea Mediolanensem Ecclesiam administravit, nulla laude cuiquam incliti nominis Pontificum secundus. Verum dœcōra Senatoris & Pontificatum memorandi locus erit. Nunc ad legationem ipsam reuertamur. Profecti Byzantium Abundius, Asterius, Basilius, & Senator, nō secus atq. de cælo missi homines accipiuntur. Quippe Theodosius, cum & sacra legationis & Ecclesiam, & Pontificem, & Deum, Euthychetis fauore violasset, nihil pacati expectabat ad urbem Roma, & ab illa potestate, quæ suam & Numinis ipsius vlciscivicem deberet. Tantò magis, insperato legatorum aduentu est lætatus. At Pulcheria, quò grauius & doléter magis infestos illos fraternæ culpæ casus tulerat, eò maiore cum iucunditate cœlestis & humanæ veniæ nuntios accepit. Ipsi dœnum extrema meriti Pontifices relicum pœnitentiæ suæ locum
inter

inter se gratulabantur, & legatos veluti pignora suæ salutis adspiciebant: Postquam de rerum statu, ac de componenda religione sunt collocuti, Theodosius nihil omisit, quo præteriti temporis damna sarciret pristinæq. gratiæ locum mereretur. Tunc malorum omnium originem Crisaphium puniuit capite, tunc stimulatricem Eudoxiam ab se procul ablegauit. Flauianiquoq. cines, & reliquias summa populorum gratulatione, restituit in Ecclesiæ Constantinopolitanæ sinum, & Pulcheria ipsam cuius catholica studia fuerat peritissimæ, summæ rerum præfecit. Cætera pari animo deinceps erat executurus, cum pijs conatibus interuenit mors, & ingemuere legati. Pulcheria deinde regnat, assumpto in societatem rerum & curarum Marciano, qui procerum Imperij a tempestate clarissimus habebatur. Matrimonij cæremonia tantum & nomen fuit, cæteris abstinebant ex antecedendo. Is Marcianus cum vxore Pulcheria, tertio die quam acceperat imperium, Euthychetem & asseclas damnauit; profugos ac extorres Episcopos reuocauit in sua quemq. munera & sedem. Et quò plus in posterum auctoritatis haberet ea restitutio damnatioq. minusue foret opportuna sermonibus atq. consilijs eorum, qui nouare aliquid cuperent, ipsa in vrbe Byzantio legati concilium habuere, quo Cæsarlis, & sua consentientia decreta publica firmarunt auctoritate ac decreto. Simul veniam dedere lapsis, qui agnoscentes errorem ac scelus, precibus infimis ut in Ecclesiæ Catholice gratiam recipiarentur postulabant. Per hunc modum, Leonis auspicijs, legatorum opera & studio compositis ad Orientē rebus rediit Ecclesia suam in pacem & quietem, Senatorisq. no*ft i*

Strispectata inter ea negotia virtus & fortitudo, simul
lenitas & mansuetudo, vel maxime nobile nomen Eccle-
siæ Mediolanensis apud eas gentes fecit. Rediēre inde
legati Romam, & Pontifici maximo legationem ordine
renuntiauerunt. Ille dicitur sustulisse manus, & preca-
tus esse, vt quoniam turbulenta tempora, & seditiosos
homines omne semper æuum ferret, atq. necesse esset,
rem Ecclesiasticam tentari & exerceri calamitatibus eius-
modi, forent in subsidium & opem prompta robora ta-
lium virorum, quales ipse tunc habuisset. Consultat
inde cum legatis ipsis quæ vrbes ac prouinciae præcipuo
damno lucem accepissent Euthychianam, & quas ad re-
medium & salutem peti primas omnium oportet. Vrbs
Mediolanū prior ac potior est visa, tūm diffusæ pestis con-
tagione, tūm in cæteras vrbes exemplo. Sanandam esse
publico conuentu, & vrbis eius Antistitem Eusebium
admonendum esse, prouinciales Episcopos vti conuocet,
ac pro sua sapiëtia & virtute rem totā ex sequatur decre-
uere. Cæteris apud se in alia negotia detentis, Abundiū &
Senatorem Leo Mediolanum ad Eusebium mittit. Ve-
nire cum Pontificijs litteris & mandatis, & confessim ab
Eusebio conuentus Episcopis indicitur. Is conuentus
habitus est anno quinquagesimo primo supra quadri-
gentesimum, & summa decretorum fuit; Confirmaride-
creta Byzantini concilij, eaq. rata & sancta esse. Inter-
fuere concilio Mediolanensi magni nominis Pontifices,
in sanctorum postea numerum relati, & clari litterarum
gloria, simul ipse Senator interfuit, nondum quidem
Episcopus; cæterum dignatione pari, vel quia legatus
erat, vel quia publica exspectatio Pontificem eum desti-
nabat.

nabat. Cæterorum nomina in actis extant hoc ordine; Eusebius Episcopus Mediolani. Fauentius Rheygi. Majoranus Placentiæ. Ciprianus Brixellarum. Quintinus Derthonæ. Florens pro Eulogio Eporædiæ. Gratus pro Eustatio Augustæ. Ciriacus Laudensis. Asimon Abundij frater Coirensis. Paschasius Genuensis. Pastor Hastæ. Simplicius Nouariae. Ioannes Cremonæ. Octauianus Brixia. Iustinus Vercellarum. Quintinus Albigauni. Præstantius Bergomi. Consedere omneis, non ut cuique dignitas sed ut quisque vetustior in Pontificatus munere. Id in Aquileiensi quoque. Concilio sub Ambroſio seruatum fuerat. Eusebius dimisso conuentu, datoque patribus negotio, ut ad tollenda Euthychetis mendacia pro se quisque intercederet animo & curas, pari solicitudine ipse in Mediolanense populum excubauit. Dedit quoque litteras ad Leonem de tota re & negotio tollens laudibus Abundium & Senatum capita rerum, & ornamenta nominis Catholici. Et Leo quidem ac Eusebius, Romana & Ambrosiana res, ad Orientem Occidentemque solem Ecclesia sese in hunc modum habebant alta post ærumnosos labores quiete. Mox Attila sese superfudit Christiani nominis horror, in sua dextera, suoque capite veluti gerens vtrices Numinis iras; vulgo, qui tunc erant, quiue post secuti, Dei flagellum appellauere. Rex Hunnorum erat, ingenio ferox & sanguinis ac cædis auditus. Animo fastus barbarioris inerat, procerus corpore, vultu minax actoruus, euentibus quoque bellorum et rerum cursu par famæ, qua delendam ad Italiam immissus esse diuinitus diceretur. Septuaginta millia dicitur in sarmis habuisse, Marcomanos, Sueuos, Quados, Erulo, Tulingios & Rugios igno-

ta

ta ferè gentium nomina , et tanto magis celebrata feritate . Monstrum horribile ingens quà sua , quà gentium armatarum fama , cùm Gallicas immitti victoria peragrasset vrbes , Italiam florem vrbis appetebat infestus , cùm ferrum et dextera , qua perimeretur , fuit . Ita nos eripimur cladi . Mediolani aliquandiu sedisse Attilam ferunt ; ibi , cùm pictam fortè Cæsar is imaginem adspexisset ; quem , ad pedes abiecti Scythæ venerarentur , offensum ea specie , iussisse repente deleri picturam eiusmodi , atq. superbiæ lascivientis ingenio , pro Cæsare Attilam augusta in sede collocatum , quem longo Cæsares ordines singulatim adirent , onerati saccis humeros , & auri pondera ante solium effundentes , id picturæ commen- tum durasse donec ipse deleretur , atq. dempto iugores Italæ barbarum dominatum exsueré . In hæc tempora Chalcedonense conclium incidit , abolendo penitus Ecclesiæ motu & concursu . Leo author fuit , adiutores & consiliarij , Senator Mediolanensis , & è Cōstantinopolitana legatione reliqui . Eius quoq. conuentus ordinem & exitum , quia ciuis & mox Archiepiscopi nostri confilia & artes interfueré , memorabo . Marcianus Cæsar præsedit , non viurpandæ potestati , atq; trahendis in Regiam Ecclesiæ rebus , sed parens , & moderator , & sua disceptaturus autoritate , si fortè aliquid , vt in tanti discriminis negotio , tantaq. sententiarum & hominū va- rietate conuenire non posset . Episcopi conuenere sexcenti , & triginta præter magnum numerum aliorum , qui diuerso nomine ac titulo splendidos ordines obtinebant , legati Romani , legati Mediolanenses , aliarumq;

H h h gentium .

gentium, ut queq. forte Pontificem, aut morbus tardauerat, aut domestica rerum, & gregis tenuerat cura. Noster Eusebius, afflito per Attilę irruptionem vrbis, & Ecclesię statu, prouiderat pericula, & corruptelas, & graviora mala, si proficeretur; ideo pro se legatos misit. Non traditur certum, sed propè certa est, & iuxta rem ipsam coniectura, Senatorem fuisse principem eius legationis, quippe cùm, & Cleri Mediolanensis doctrina, sapientiaq. præstantissimus haberetur, & negotium illud vniuersum, totamq. rem Eutychianam ab initio ad finem usq. pertractatam, & animo comprehensam haberet. Ille legatus ab Roma Constantinopolin, ab Constantinopoli Romam, & rursus inde Mediolanum ierat. ille Mediolanensi pariter interfuerat concilio, quodq; instar esse omnium debet, cùm de ipsa concilij Chalcedonis opportunitate aliquāto antea deliberaretur apud Pontificem maximum, affuerat vna cum ceteris legatis ei deliberationi, nouerat Pontificis ipsius detota re consilia, & voluntatem, quæ rerum via, quos caueri casus oporteret. Ob ea, Mediolanensis Archiepiscopi nomine Senatorem iuisse tam credimus, quam si prescriptum extaret, neq; perijset ea litterarum memoria, quam explere, & reuocare argumentis, & rationibus conamur. Cum hic numerus Episcoporum, tam Græci generis quam Latini, cumq; Chalcedonē hæ legationes conuenissent, vigesimo die deliberata, & consultata, & definita omnia patres habuere. Indutum humana carne Numen, & immistum nostræ mortalitati summum ac æternum illud atq; magna mysterij seriem vniuersam comprehendit Concilij Chalcedonensis formula, Ephesinæ pri-

mæ,

mæ, Nicænæ, Mediolanensiq; formulæ nihil absimilis ac diuersa. Fuerant in eo conuentu multi fautores Eutychetis, qui sese antea venditauerant tanquam authores & capita sectæ, quorum videlicet intererat, ne dogma Eutychianum profalso, & vitioso in ora hominum abiret. Hi sese ad resistendum parant. Et quoniam grue Catholicorum iudicium atq; sententiam contra disputando infirmare conari furoris esset, potiusq; ipsorum amentiam designaret ea res, quam roborandæ sectæ momenti quicquam adferret, impudentissimo commento aduertunt animos, rumoribusq; dissipatis, decreti eleuare authoritatem, ac fidem insistunt. Patres quidem aliter esse affectos, atq; aliter de religione sentire ipsos, cæterùm impulsu Cæsaris fecisse decretum illud; proinde caueant homines, quibus æterna salus curæ, neminis inanibus, neue fallaci decreto in fraudem inducantur. Eutychetem semper ipsum in animo habent, & quam semel ab authore salutis ac parente sententiam acceperint, ab ea sese nulla ratione patiantur deduci & auelli. Hæc insani homines, & quisquis lue contactus Eutychiana, hæc priuatim in circulis, hæc publice concionabandi apud secundas aures, & pares animos iactabant. At è Catholicorum numero præcipua sanctitate vitæ Pontifices, erectis in Deum animis, & planè supra mortale fastigium, postquam ea, quæ tentarētur humanis consilijs, difficiles, ac prope iam irritos habere conatus animaduertere, vertunt ad diuinam opem, traditurq; inde res euentu pariter, & principio memoranda, de qua ego sic referam, ut ex veterum monumētis accepi. In templo Magnæ ac Beatæ virginis Euphe-

Hhh 2 miæ

mixæ concilium habebatur, cuius, & nominis, & templi
maxime erat inclita fama, propterea quod sacri corpo-
ris reliquiae, quotidie ferme clarescerent miraculis, neq.
tanta temeritas cuiquam, ut aut ambigeret, aut oblo-
queretur. Igitur sanctissimi Pontificum inter se com-
municato consilio, tulere conditionem Euthychianis,
vti disceptatrice controuersiæ totius vterentur Euphe-
mia; vtris ea causam adiudicasset, eorum incorrupta, &
sincera fides haberetur, pars altera, vieti, & fracti in per-
petuum obmutescerent. Perculerat ea res Euthychia-
nos, & primò iactare vana & solita dubia fidei; nō adeò
promptos in mortalium vota, & certamina cælestes
esse, ut etiam in corpora spiritus redeat, & nudi lo-
quantur artus. mortalium certamina dirimerent mon-
tales; commoto quidem & solicitato cælo nihil opus
esse. Hæc palam. Cæterū, vt est omnis ma-
litia supicax, illa tacita suberat cura, ne, vnde ve-
ritas stareret, & recta ratio, illuc, miraculum, velut æ-
quus index victoriam daret. Res tandem ita conuenit,
inter spe plenos optima, & improbae conscientiæ stimu-
lis agitatos, vt partis vtriusq. placita separatim consi-
gnata litteris, virginalibus reliquijs admoueretur. Co-
gnosceret Euphemia sitem, componeretq.. Sic aperto
tumulo, quæ nudos digitorum artus absumpta destitue-
rat caro, scriptum vtrumq. collocatur, tamquam ab
tradentibus in manum, & rogantibus vt legeret. Inde
rursus obsignant tumulum, collocatisq. vigilibus in cu-
stodia, vota precesq. instaurant, Catholici pariter & Eu-
thychiani. Erat omnino miseranda rerum facies, ac
triste spectaculum, cum in publico conuentu, diuersi,

pars

pars nefaria & sacrilega peterent à superis , alij fidei , &
 religioni , & Ecclesiæ laboranti cælestem opem implo-
 rarent . Ab ea supplicatione post triduum iterum aper-
 to tumulo , rem visu relatuq. mirandam inuenere . Væ-
 cordes hereticorum libelli strati & neglecti iacebant ad
 pedes inclitæ virginis Euphemie ; catholicorum schedula
 velut agglutinata digitis eminebat . Ac cæteris quidem
 torpebat admiratione vox animusq. nec motæ in mira-
 culum Diuę propinquare quisquam audebat ; Nazarius
 & Anatolius accessere . Id erat insigne par Episcoporu ,
 & intentus in cælum vterq. velut è custodia corporis e-
 minebant . Hi , cùm venerabundi adstitissent , rogantes ,
 vti stare contra , & mandata quæ referrent accipere fas
 esset , exporrexit Euphemia manum placido , & leni mo-
 tu tradiditq. scriptum habentes tabellas . Ea nimurum
 fuit significatio damnantis falsa comprobantis vera ;
 nec deinde perseveratū Euthychianis in prædicanda
 palam , & asserenda vanitate , licet intimis eam sensi-
 bus obstinate compressam tenerent . Ita , Catholicæ
 fidei formula in perpetuum stabilita est : decretum
 in hanc ferè sententiam Pontifices fecere . Christo li-
 beratori sincera , & absoluta diuinitas , sincera , & absolu-
 ta humanitas fuit . Est vere Deus idem , & verè homo
 sine aliqua , vel diuisione , vel confusione , duplii in vñā
 hipostasim coeunte natura . Absq; contagione peccati
 similis nostri per humanitatem , quemadmodum incor-
 rupta diuinitate idem quod Pater . Hęc de natura libe-
 ratoris nostri rata sunto , & fixa , neq; secus pronunciato
 quisquam , tacitusuè habeto : qui faxit , capitali culpa
 obstrictus tenetor , damnatumq; caput omneis vitanto .

Hac.

Hæc summa fuit fidei , per quā sanitas intravit animos ; non illa quidem subita & repentina, qualis ex insperato solet , cùm habitus animorum , & rerum forma statim mutantur; sed per latentia malorum decrementa perq. lentas progressiones ad sinceram fidem , cùm authores opinionis prauæ , primò terror iniectus , dein ex terrore, salutaria , & recta consilia paulatim subirent, atq; cum his ipsis reliqua mul- titudo traduceretur ad salutem .

Sic Mediolanensis Ecclesia

est restituta, cepit re-

dire populus in

viam ,

damnataq; tribus deinceps Concilijs

nomina , Pelagius , Nestorius,

Eutyches cū suo dogmate

procul hinc in per-

petuum exu-

lauere .



IOSE-